1300

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
16 S '14

Stambart

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

COMMENTARIUM IN PLAUTI MOSTELLARIAM.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

EXHIBENS

COMMENTARIUM IN PLAUTI MOSTELLARIAM,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MEDIC. ET ART. OBSTETR. DOCTOR ET IN FACULTATE PHILOSOPHICO-MATHEMATICA PROFESSOR ORDINARIUS,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERIS HUMANIORIBUS ET PHILOSOPHIA THEORETICA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

In Academia Rheno-Trajectina

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES ADRIANUS STAMKART,

ANTVERPIENSIS.

A. D. XVI M. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

AMSTELODAMI.

APUD J. C. A. SULPKE.

MDCCCLVIII.

TYPIS METZLER & BASTING, AMSTELOD.

PARENTIBUS

OPTIMIS,

CARISSIMIS,

PRAECEPTORIBUS

ET

FAUTORIBUS

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Quum tironi difficillimum sit, his praesertim temporibus, in philologia argumentum invenire, quod adhuc nemo virorum doctorum leviter saltem tetigerit, re vera animi pendebam, qua de re specimen academicum conscribere instituerem, eoque magis quod verebar ne vires non suppeditarent ad materiam, quamcumque sumsissem ita tractandam, ut doctorum virorum inventis et disputatis novi quid addere possem. Quum nihilominus, lege jubente, aliquid scriberem necesse esset, converti me ad musam comicam, quam semper summo amore complexus sum, cujusque festivissimum antistitem Plautum semper habui. Hujus igitur comoediam aliquam explicare statui. Elegi Mostellariam, quae sit in earum numero quae minime bonos mores laedant quaeque, exceptis paucis, omnium paene lepidissima sit et elegantissima. Hanc pro viribus commentario perpetuo illustrare institui, in quo conficiendo spectavi maxime tironum utilitatem primum Plautum adeuntium, quibus hac mea opera quasi adminiculum dare mihi proposui. Quodsi

forte hoc specimine edendo aequorum judicum puncta ferre mihi contigerit, in animo est reliquas quoque comoedias Plautinas eodem modo aut melius, ut spero, edere. Praecipuorum commentariorum excerpta contuli et passim quaedam de meis addidi. Quod ad textum attinet, recensionem secutus sum Ritschelii, quippe quae universe spectata omnibus longe anteponenda sit. Qui tamen quum non semper sive permutationis versuum, sive lectionum a vulgata discrepantium rationes reddiderit, quantum potui explicare conatus sum quid eum adducere potuerit ut textum suo modo corrigeret; quibus vero locis nimis audacter verba mutasse aut versus expunxisse mihi videretur, paucis verbis lectionem codicum defendere studui. Prius vero quam ad ipsam comoediam explicandam aggrediar, pauca disserere juvat. 1° de exemplis quae Plautus secutus est, 2° de argumento fabulae, 3° de justa descriptione Actuum et Scenarum.

1°. E multis indiciis patet Plautum et Terentium in contexendis fabulis poëtas Graecos, et quidem comoediae novae ante oculos habuisse. Omnis enim Romanorum poësis tam comica quam tragica originem duxit e Graecis fontibus. Romani quippe non, ut Graeci, toti versabantur in humanitatis studiis, neque apti erant ad pingendos mores et animorum motus, propterea quod nil fere spectabant nisi negotia publica et domesticas rationes, artium autem et doctrinarum cultum utilitate fere metiebantur. Cf. Cic. Tusc. Disp. Lib. I cap. 1. Postea demum quum commercium habere coeperunt cum Graecis, quibus primo molestus, deinde facilis ad urbem aditus patebat, artium amor in dies crescere coepit.

Deinde ipsi quoque operam dederunt fabulis con-

texendis et duplex exstitit comoediae genus, unum quo Romani mores pingebantur, quae fabulae Togatae vocatae sunt, quarum injuria temporis non nisi pauca et exigua fragmenta nobis supersunt (Cf. Neukirch, de fabula togata Romanorum). Melior fortuna contigit Palliatis comoediis, quae vel omnino vel pro parte Graeca exemplaria imitabantur, et in quibus maximam partem Graeci mores in scena ostendebantur, quarum quidem satis magnus numerus aetatem tulit unde indolem et colorem cognoscere possimus. Comici Graeci, quos secutus est Plautus sunt hi: Menander, Diphilus, Philemon, Demophilus, quod e prologis nonnullarum fabularum apparet. Sic Asinaria imitata est *Ὀναγόν* Demophili (Prol. 10—11), Mercator *Ἔμπορον* Philemonis (Prol. 9—10), Trinummus *Θησαυρόν* Philemonis (Prol. 18—20), Rudens fabulam Diphili (Prol. 32), Mil. Glor. fabulam *Ἀλάζονα* (Act. II: 1: 8). Quod multis locis comoediae Graecae titulus tantum citatus est, omisso nomine poëtae, hujus rei causa mihi videtur esse, quod comici Graeci, praecipue Menander publici juris facti essent quare non necesse esset nomen poëtae addi. Cf. Terent. Heaut. Tim. Prol. 8—9

Et cuja Graeca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire vostrum, id dicerem.

Graeca exempla insuper testantur loca, ubi res agi finguntur, quae sunt semper aut Athenis aut Thebis aut Epidamni aut Sicyone cet., tum nonnulli Graecismi et verba e Graeco sermone desumta (Cf. v. c. Most. vs. 912 genitivus exclamationis *Mercimoni lepidi*, Rud. II: 2: 5 *conchitae* Pers. III: 1: 64 *soracum*), praeterea nomina personarum Graeca, v. c. Scapha a *σκάφιον*, quod Lat. est *pelvis*, quoniam ejus officium erat aquam vel lac asininum

in pelvi dominae afferre lavandi cansa cet., item mores qui depinguntur, qui apud Terentium sunt omnino Graeci, apud Plautum pro parte saltem, ut v. c. in hac fabula vss. 156—312. continetur scena plane Graeca. Non enim apud Romanos mos erat puellas emere a lenonibus ut apud Graecos, ut nominatim hic Philematium. Temporibus Plauti Romanorum mores non tam corrupti erant nt ritus matrimonii justi non religiose servarent; Graeci contra jam Aristophanis temporibus non contenti erant una uxore legitima, verum aut concubinas habebant, aut se in consuetudinem dare solebant cum *ἑταίραις*, mulieribus morum quidem lascivorum, verum saepenumero excellentibus ingenii praestantia, neque ullo modo comparandis cum meretricibus posteriorum temporum Romani imperii, quales describuntur a Juvenale, Sat. VI. Saepe enim illae mulieres corona virorum excellentium domi suae circumdatae erant, ut Xenophon, Plato aliique locis sexcentis testantur. Comoediae Graecorum antiquae vestigia Plautum et Terentium non secutos esse apparet:

α. Ex argumento fabularum, quod semper spectat vitam domesticam, res publicae vero non nisi quibusdam locis leviter tanguntur, quum comoedia antiqua tota in rebus publicis versaretur, et in ea viri qui bene meriti viderentur de civitate laudari, qui male, perstringi solerent. Neque id mirandum: Romani enim patricii non ludibrio haberi se passi essent quemadmodum Athenis, florente libertate, principes viri palam in scena exagitabantur. Naevium enim, qui id ausus erat, in carcerem conjectum poenituit facti isque in posterum magis se continuit. Plautus autem obscura gente oriundus, histrionum gregis dux, deinde servus factus, certe non ausus

esset imitari Naevii inceptum, quum praesertim inter patricios patronum non haberet qui eum tueri posset.

β. Ex eo quod in comoedia antiqua Chorus et quidem Parabasis praecipuum locum tenebat, in Plautinis autem fabulis plane desideratur, nisi forte eo referre velis cantica quaedam antistrophico fere modo composita, quibus aliquis actorum de quadam re philosophatur (ut v. c. Most. Act. II: 1 et IV: 1 cet.), quae tamen cantica neque ad publica negotia spectant, ut fere Parabasis comoediarum Atticarum, et cum ipso comoediae argumento arcto vinculo cohaerent. Etiamsi pauca illa quae diximus argumento sint fabularum Romanarum originem Graecam esse, sunt tamen nonnulla quibus hae ab illis differant. Legentibus enim comoedias Plautinas statim in oculos incurrit servorum conditio toto coelo diversa a conditione servorum qualis depingitur apud Menandrum et Philemonem. In Romanis fabulis servi ratione habita dominorum non sunt personae sed res, de quibus fieri potest quod illis luberet, in quos haberent jus vitae ac necis et potestatem turpissimis poenis et cruciatibus crudelissimis eos afficiendi. Apud Menandrum et Philemonem contra, servi eadem materia conflati perhibentur atque homines liberi, nec natura sed casu fortunae differre. Cf. Philem fr. inc. XXXIX

κἂν δοῦλος ᾖ τις, σάρκα τὴν αὐτὴν ἔχει·
φύσει γὰρ οὐδεὶς δοῦλος ἐγενήθη ποτέ·
ἡ δ᾽αὖ Τύχη τὸ σῶμα κατεδουλώσατο.

Ejusd. *Ἐξοικιζόμενος* fr. 1.

κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Men fr. inc. XCVIII.

Ὅταν τύχῃ τις εὐνοοῦντος οἰκέτου,
οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίου.

Ejusd. Ἐμπιπραμένη fr. 2.

...... Τρία γάρ ἐστι, δέσποτα,
δι᾽ ὧν ἅπαντα γίνετ᾽, ἢ κατὰ τοὺς νόμους,
ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ τὸ τρίτον ἔθει τινί.

Ejusd. fr. inc. CCLXXIX.

Ἐλευθέρως δούλευε, δοῦλος οὐκ ἔσει.

Hinc facile colligitur conditionem servorum apud Athenienses multo mitiorem fuisse quam apud Romanos, quod discrimen explicandum ex indole mitiore Graecorum, quae non sineret homines tantopere nihili esse. Alia dissimilitudo posita est in sermonis colore, quum Menander ceterique novae comoediae scriptores multas facetias multaque joca tecte et ambigue eloquantur, freti nimirum sagacitate suorum civium, quod quominus faceret Plautus impediebat nimia hoc tempore Romanorum rusticitas, quare facetiae magis aperte apud eum proferri solent. Hanc ob causam equidem credo illum initio certe imitatum fuisse potissimum Siculum Epicharmum, poëtam comoediae rudioris, audacioris lascivioris que. Indicat hoc Horatius Ep II: I: 58 sq.

Plautus ad exemplar Siculi properasse Epicharmi
Dicitur.

quae verba varie accepta ab interpretibus me judice hoc significant: *Plautum quasi cito passu Siculi poëtae exemplum esse secutum.*

2°. Fabulae titulus est Mostellaria, derivatus a *Mostellum*, diminutivo verbi *Monstrum*, quod significat rem naturae modum egredientem. Fabula sic dicta quod in ea senem ludificatur Tranio, simulans Philolachem terrifica

monstra in aedibus vidisse, eoque eum a domo arcet. Argumentum hoc est: Theuropides, mercator Atheniensis (vs. 971, 1072) habet filium Philolachem et duos servos Tranionem et Grumionem. Pater mercatus causa in Aegyptum profectus tribus annis post redit (vs. 440). Interim Philolaches perdite amare coepit ancillam Philematium, quam ut servitute liberaret, pecuniam mutuam sumit a foeneratore, quadraginta minas, ea conditione, ut redderet quadraginta quatuor pro sorte et foenore (vs. 630). Harum triginta pro libertate amatae expendit (vs. 300), reliquas decem autem consumit alio modo. Philolaches familiaritatem habet cum Callidamate obligurritore, cui ipsi amica est Delphium; hi ambo cum amatis saepe pergraecantur et commissantur. Philolachi autem a patre custos relictus est servus Tranio (vs. 25) qui eum regeret; ille vero tantum abest ut bene mandato obtemperet, ut dissolutae vivendi rationi filii erilis omnibus modis faveat; hanc ob rem acriter a conservo Grumione perstringitur, unde rixa inter duos servos oritur (Act. I^us^). Quodam die laute coenantibus et potantibus Tranio nuntiat Theuropidem ex itinere rediisse. Adolescentes ita inebriati sunt ut vix moveri possint ut vitent senem, qui si subito adveniat et audiat rumorem convivarum, statim comperiet filium suum ligurriendo rem suam absumsisse. Quod periculum ut avertat Tranio dolum machinatur, quo impediat quominus senex bacchantibus superveniat. Jubet aedes occludi (vs. 400), deinde hortatur eos ut curent ne quis ullum verbum muttiat, perinde ac si nemo intus esset, atque si senex fores pultet, nemo respondeat (vs. 403). Omnibus paratis sic ut jussit, Tranio advenientem senem ludibrio habere

coepit. Roganti (vs. 452) quid sit quod aedes occlusae sint nec quisquam aperiat respondet, has aedes capitales factas esse (vs. 477), propterea quod in iis hospes hospitem necasset (vs. 479). Theuropides miratur rogatque qui id sciant (vs. 483). Tranio narrat Philolachem quadam nocte in somniis vidisse spectrum mortui quod illi narrasset atrox facinus, quo aedes scelestae factae sunt (vs. 496—505). Ipse servus simulat formidine se corripi, audito aliquo strepitu (vs. 508), ne scilicet Theuropides fortasse rumorem quemdam eorum qui intus sunt audire se putaret (vs. 507). Colloquentibus supervenit danista a quo argentum mutuum sumtum erat. Servus quum eum audit magno clamore reposcentem pecuniam (vs. 576), novum dolum excogitat ne senex veram causam resciscat. Quaerenti nimirum Theuropidi quae sit ista pecnnia de quo homo loquitur (vs. 610—626.) Tranio respondet Philolachem aedes Simonis vicini emisse, postquam suae domi factum erat quod narravit (vs. 640—641), sperans fore ut senex hac explicatione esset contentus nec ultra rem exquireret. Hic gaudens filium vestigia sua premere, solvit pecuniam danistae; quum tamen aedes summis laudibus extollit servus (vs. 645), in mentem ei venit ipsas inspicere (vs. 674—675). Iterum haeret Tranio nec scit quid faciendum sit (vs. 676—678); tandem se expedit dicitque Theuropidi necesse esse provideat ne quis sit qui aditum prohibeat, cui assentitur senex (vs. 681—683). Tranio nunc adit Simonem, simulat Theuropidem velle aedificare aedes ad normam aedium Simonis, rogat igitur ut illi liceat eas inspicere. Simo annuit et Theuropides cum Tranione intrat.

Miratur senex filium suum tam pulchras aedes

emisse, servus vero herum monet ne nimis eos laudet, quia Simo tristis sit quod propter penuriam pecuniae aedes vendidit. (vs. 711—857). Dum illi confabulantur, duo servi Callidamatis, Phaniscus et Advorsitor, (Cf. Not ad vs. 313—314) qui jussi erant dominum opperiri, pulsant fores aedium Theuropidis, putantes herum intus esse. Dum pultant et nemo aperit obviam iis fit Theuropides, qui cum Tranione de emtione filii sui colloquitur (vs. 904—932) rogatque quid sibi velint. Unus respondet se jussos esse opperiri dominum Callidamatem cum Philache potantem. Theuropides eos monet ne oleum et operam perdant pultando, quum jam per sex menses nemo in his aedibus habitaret (vs. 954). Servi negant id verum esse, dicuntque habitari aedes a Philolache, et ita tandem senex omnem rem cognoscit (vs. 932—992.)

Adit Simonem; cui quum argentum solvere vult quo aedes a Philolache emtas esse credebat, certior fit se multis modis a servo Tranione ludibrio habitum esse (vs. 992—1040) et poenam de eo sumere statuit. Arcessit lorarios qui Tranionem prehensum virgis caedant (vs. 1064—1067). At servus ut ex his cognovit rem palam factam esse, timens ne meritas pro culpa poenas det, ad aram se convertit (vs. 1094), ex eo loco de re sua disputat et summa cum impudentia herum ludificatur (vs. 1095—1121). Disputantibus supervenit Callidamates veniam pro Philolache rogaturus senemque ad coenam vocaturus, ut ibi omnia dirimantur, quod impetrat (vs. 1122—1165), servo vero sibi quoque veniam roganti senex minis respondet. Postremo tamen a Callidamate exoratus servo item culpam condonat, eumque impune missum facit (vs. 1166—1181).

3°. Argumentum fabulae et actionis processum consideranti, non temere statuere posse mihi videor Actus et Scenas sic ut vulgo distinguuntur, non bene dispositos esse. Nimirum Actus Ius terminatur vulgo vs. 347, IIus vs. 531, IIIus vs. 857, IVus vs. 1040. Horum Actuum tertius et quartus recte terminantur, primus vero et secundus non rectum habent exitum. Novus enim Actus semper instituendus mihi videtur ubi, parte actionis peracta, aliquod temporis spatium intercedit quo transitus fiat ad partem sequentem, quae non ita arcte cum praecedente cohaeret, quaque novi quid in scenam prodit. Scena interim aliquantisper vacua relinquebatur dum tibicen spectatores cantu delectabat, cujus rei exemplum habemus Pseud I: 5: 160, ubi finito primo Actu unus histrionum dicit:

Tibicen vos interea hic delectaverit.

Quae quum ita sint haud difficile erit Actus recto ordine describere. Primum quidem a vs. 348 initium secundi Actus esse nequit. Praecedenti enim Scena, vs. 313—347, describitur commissatio Philolachis et Callidamatis cum amatis. Potantibus et bacchantibus supervenit Tranio, nuntiatque patrem Philolachis advenisse. Jure non consentaneum mihi videtur putare primum Actum terminari commissatione, alterum incipere admonitione, ut commissandi finem faciant, quia haec tam arcte cohaerent, ut temporis aliquod intervallum inter ea praeterlapsum esse non sit probabile. Fingas tibi quemdam qui illiciti quid facit, subito adest aliquis qui monet ne ultra procedat, periculum enim esse ne poenas facti daturus sit, facile concedes inter utrumque factum quoddam tempus praeterlabi in scena non posse, quin omnis

festivitas pereat. Neque a vs. 313 Actum hunc initium capere posse satis inde patet quod Scena, vss. 313—347 comprehensa, necessario sequi debet Scenam praecedentem, quippe qua adventus Callidamatis et commissationis jam mentio fiat (vs. 295, 296, 310—312.) Restat ut dicamus de vs. 157, qui a nonnullis credi posset rectum hujus Actus initium facere. Verum si attendamus ad verba Philolachis vs. 162. *Haec illast tempestas mea* sqq., haec referri non possunt nisi ad ea quae dixit vs. 108 sqq. et vs. 140. Atqui absurdum mihi videtur statuere Philolachem primum soliloquium proferre, deinde a scena discedere, et post tantum temporis intervallum, quantum inter duos Actus praeterlabi statuere necesse est, redire et tum demum paucis verbis explicare quae antea dixit. Immo manifestum est illum in scena manere et colloquio duarum mulierum interesse, quod testantur plura verba quae loquitur, dum aliae illum non animadvertunt, et quasi earum sermoni respondet. Igitur multo magis consentaneum videtur hanc Scenam sine intermissione sequi ea quae vs. 85—156 exponuntur. Quare auctore Ritschelio Actus primi finem statuo vs. 83, secundi initium vs. 85. Post altercationem nimirum duorum servorum alter, Grumio, discedit neque in scenam revertitur, quare haec pars fabulae per se perfecta et absoluta est. Neque magis finis secundi Actus esse potest vs. 531; multo rectius finiretur vs. 430. In Scena enim quae finitur hoc versu Tranio nuntiat adventum Theuropidis, suadetque compotoribus ut quieti sint neque ullum verbum mussitent, ipse pollicetur se senem ab aedibus repulsurum et quocumque modo poterit ludificaturum. Quodsi sine ullo intervallo Scena quae

vs. 432 incipit, exciperet praecedentem, sine dubio Tranio Theuropidis adventum nuntiavisset tali quodam verbo: *atque eccum adest*, sicut factum est in fine Scenae primae Actus Secundi, ubi nuntiatur adventus Callidamatis. Deinde quum Theuropides in scenam prodit, novi quid agi incipit: gratias ille agit Diis pro reditu salvo, quam rem non statim certe praecedentia excipere posse equidem arbitror. Denique quominus ille Actus terminetur vs. 531 etiam illud obstat, quod Tranio vs. 541 dicit:

Set quidnam hic (*Th.*) *sese tam cito recipit domum.*

Qui enim hoc dicere posset si inter discessum Theuropidis (vs. 528) ejusque reditum (vs. 547) tantum temporis spatium praeterlapsum esset, quantum statuendum inter duos Actus? Etiam mihi videtur absurdum fore inter tempus quo loquuntur vss. 529—531, et id quo danista in scenam prodit, tantum intervallum statuere. Qui adventus subitarius est, quod apparet e verbis Tranionis vs. 536 : *Nunc pol ego perii* sqq. Distributio igitur Actuum haec cum Ritschelio statuenda:

Actus Ius. vs. 1— 83.
Actus IIus. vs. 85— 430.
Actus IIIus. vs. 431— 857.
Actus IVus. vs. 858—1040.
Actus Vus. vs.1041—1181.

Sequitur Scenarum descriptio, in qua etiam plura peccata sunt. Scenae trium priorum Actuum vulgo recte sunt divisae, Actuum quarti et quinti minus recte, quas in justum ordinem redegit Ritschelius. Et primum Actus quarti quae vulgo est Scena prima, rectius dividitur in duas Scenas: unam vs. 858—884, alteram vs. 885—903.

Si enim vss. 858—903 una Scena continuata legendi forent, certe Phaniscus et Advorsitor simul in scenam prodiissent necesse esset, quod non factum esse inde apparet, quod Phaniscus, dum soliloquium suum effert, numquam ne uno quidem verbo mentionem facit alicujus praesentis, qui si adfuisset, sine dubio ad hunc verba fecisset. Contra vss. 904—992 una Scena continuata legendi, nec incidendi post vs. 932. Vss. 904—932 colloquium agitur Theuropidis cum Tranione de aedibus quas Philolachem emisse fingit, Theuropidesque eas laudat, ambos igitur in scena esse necesse est. Quodsi autem post vs. 932 Scena nova incipiat, hoc fieri aliter non potest, nisi Theuropides vs. 930 discedat et vs. 935 idem statim, quasi de coelo lapsus, revertatur quod absurdum fore neminem fugiet. Actus quinti vss. 1041—1121 vulgo una Scena continuata leguntur, verum incidendum est post vs. 1063. Vss. 1041—1063 Tranio solus in Scena adest, quippe qui ne verbo quidem aliquem praesentem nominet; idque apparet item e vss. 1062—1063 quibus domini adventum nuntiat verbis:

Set quid hoc est, quod foris concrepuit proximae viciniae.
Erus meus hic quidemst . . . .

Quodsi Theuropides adfuisset, certe non opus fuisset haec verba proferre. Itaque distributio Scenarum totius fabulae haecce:

Act. I.	vs.	1— 83.	vulgo	Act.	I.	sc. 1.
Act. II. sc. 1.	"	85— 156.	"	Act.	I.	sc. 2.
Act. II. sc. 2.	"	157— 312.	"	Act.	I.	sc. 3.

Act. II. sc. 3.	〃	313— 347.	vulgo	Act. I. sc. 4.
Act. II. sc. 4.	〃	348— 430.	〃	Act. II. sc. 1.
Act. III. sc. 1.	〃	431— 531.	〃	Act. II. sc. 2.
Act. III. sc. 2.	〃	532— 689.	〃	Act. III. sc. 1.
Act. III. sc. 3.	〃	690— 857.	〃	Act. III. sc. 2.
Act. IV. sc. 1.	〃	858— 884.	〃	Act. IV. sc. 1.
Act. IV. sc. 2.	〃	885— 903.		
Act. IV. sc. 3.	〃	904— 992.	〃	Act. IV. sc. 2. Act. IV. sc. 3.
Act. IV. sc. 4.	〃	993—1040.	〃	Act. IV. sc. 4.
Act. V. sc. 1.	〃	1041—1063.	〃	Act. V. sc. 1.
Act. V. sc. 2.	〃	1064—1121.		
Act. V. sc. 3.	〃	1121—1181.	〃	Act. V. sc. 2.

ACTUS I.

Vs. 5.

Exi inquam, nidoricape. nam quid hic lates?

In ceteris editionibus recentioribus hic versus hoc modo legitur:

Exi, inquam, nidor, e culina. Quid lates?

quem le Maire explicat sic: „Plautus voluit depingere servum qui cuperet pergraecari et laute vivere, itaque dixit: tu nullam partem domus magis frequentas quam culinam, ideoque tu non homo sed nidor, exi e culina, quam semper habitas, ut nidor." Quae explicatio mihi quidem insulsa et Plauto poëta festivissimo plane indigna videtur. *Nidor* enim significat odorem fragrantem adipis vel carnis assatae; cum tali autem re hominem comparari id, plane ineptum est. Quam ob causam mihi arridet lectio: *Nidoricape, nam quid hic lates?* quam facile efficias e lectionibus quas quidam codices praebent, nimirum codices B. C. F. Z. *Nidore cupinam*, D. *Nidore cŏpinā*, Pius *Nidoricupina*, Pius et Saracenus *Nidore culinam*. Vocabulum *nidoricapus* simile prorsus est

Graeco κνισσοδιώκτης in Batrach 234. Quod attinet ad compositionem, nihil est quod obstet, Cf. Pseud I: 3: 145, IV: 2: 19 et Persa I: 2: 16 *legirupa*, Rud. III: 4: 4 *legirupio*, Pseud I: 3: 142 *bustirape*, I: 3: 143 *sociofraude*, Asin I: 1: 21 *fustitudinas* et *ferricrepinas*, Most II: 1: 9 *plagipatidae* et *ferritribaces viri*, III: 2: 55 *ferriterium*. Ceterum illud *nam* pronomini interrogativo additum, ut Graecum γάρ (ex. gr. τί γάρ;) inservit quaestioni cum admiratione vel indignatione quadam efferendae, Cf. Amph. Prol. 41 *nam quid ego memorem*, Ibid. II: 1: 2 *nam quamobrem*, Asin. I: 1: 29 *nam quousque*, Aulul. I: 1: 3 *nam cur*. I: 1: 5 *nam qua*, Curc. I: 1: 12, III: 25, Most. I: 3: 34 *nam quod*, I: 3: 101. *Quid cerussa opus nam* (ubi postponitur pronomini) II: 1: 21 et alibi passim.

Vs. 8.

Abi rus: abi hinc dierecte. abscede ab ianua:

dierecte ex *di* et *erectus* (expansus) usurpatur de servis dignis qui cruci affigantur, vel aliis crudelibus poenis afficiantur et in universum de hominibus nullius pretii.

Vs. 9. *En*

Scilicet plagam, Cf. vs. 10. Vulgo *Hem*, idque cum sequente versu conjungitur, sed melius constabit vs. 10, si cum Ritschelio legimus separatim *En*, quod significat exclamationem qua quid designatur quod ante oculos est vel fit. Ceterum ut hic *En*, sic vs. 178 *eho* extra versum positum est: et ita saepe apud poëtas Graecos tam tragicos quam comicos interjectiones φεῦ, αἰαῖ, ἒ ἒ, aliae, separatim poni solent.

Vs. 13.

Nec veri simile loquere nec verum, rupex,

Rupex, homo durus, rusticus, hebes, a rupis duritie dictus ut Festus dicit in „*Petrones*", nam eodem modo *petro* a *petra*. Cf. Plaut. Capt. IV: 2: 41, ubi de ariete dicitur:

Qui petroni nomen indunt verveci sectario;

i. e. qui petronum sive arietum carnem vendunt pro vervecina, quae sapore magis commendatur. Cf. Tertull. Apol. cap. 21 s.f. „*Rupices et feros homines ad humanitatem temperare.*" Id. de Anim. cap. 6. a.f.: „*Tot ac tantae animae rupicum et barbarorum, quibus alimenta sapientiae desunt.*" Aliorum codicum lectio est „*frutex*", h.e. planta, quae ad arboris magnitudinem non assurgit, unde traductum est in convicium hominis stupidi, ut *caudex*, *stipes*. Ambabus lectionibus comparatis, mihi prior magis festiva videtur, eademque aptior ad significandum hominem stupidum, plumbeum, *ἐκ δρυὸς ἢ ἐκ πέτρας* factum.

Vs. 15.

Tu urbanus vero scurra, deliciae popli,

Loci, ubi verbum *vero* tertio loco positum se offert sunt hi: Aul. Prol. 18, Curc. V: 3: 33, Epid. V: 2: 22, Men. I: 3: 33, II: 2: 7, II: 2: 33, III: 2: 50, IV: 2: 54, 73, 98. Mil. II: 3: 53, II: 4: 14, III: 2: 17 et alibi passim; quarto loco est: Cas. II: 5: 5. Hoc loco *vero* significationem ironiae habet, ut Most. III: 1: 54: *Beatus vero es nunc quom clamas.*

Vs. 16 sq.

Rus tu mihi objectas? sane credo Tranio,
Quod te in pistrinum hau scis actutum tradier.

Cum dicto vs. 16 Cf. Truc. II: 2: 15: *Rus tu mihi opprobras.* Vs. 17 particulam *hau* vel *au*, quam plurimi codices omittunt, recte in textum recepisse mihi videtur

Ritschelius. Illa particula significat idem quod *haud* (non), Cf. vs. 98.

Vs. 19.

Augebis ruri numerum, genus ferratile;

Muretus Var. Lectt. V: 9 versum sic emendat:

Augebis ruri numero genus ferratile;

„*genus* enim *ferratile* vocat servos, qui ruri in compedibus agerent, atque id genus *numero* i. e. brevi, nempe cum redierit senex, a Tranione auctum iri ait.“ Emendatio haec probanda videtur, non item explicatio: *numero* enim pro *brevi* dici posse Mureto non credo. Multo rectius explicabis quod ad numerum attinet. Si enim ducentis servis additur unus, grex augetur *numero*. Gronovius *numerum* defendit sic, ut *genus ferratile* huic adjectum sit per epexegesin, quod tamen vix potest probari, quasi vero omnes illi servi, qui ruri essent, ad *genus ferratile* essent referendi.

Vs. 24.

Parasitos: obsonate pollucibiliter.

Pollucibiliter a *polluncto*, quod nomen a *pollucendo*, de cujus verbi origine lis est inter Grammaticos; illud proprie dicitur *sacrificium* sive *epulum*, quod Jovi Dapali, Herculi, alive fieret. Cf. Macrob. Sat. III: 16: *Proprie autem* CATILLONES *dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum venirent cattillos ligurribant.* Porro quia *polluctum* hoc plane opiparum ac sumptuosum erat, hinc est quod vocabulo eo generatim uterentur pro coena lauta ac sumptuosa. Cf. Plaut. Rud. V: 3: 62 sq.

. . . . *Spectatores vos quoque ad coenam vocem,*

Ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi,

Etiam dicebatur *polluctura*, ut Stic. V: 4: 5 sq.

. . . . *quisque veniat cum vino suo: nam hinc quidem*
Hodie polluctura, praeter nos, jam dabitur nemini.

Vs. 34.

Quid tibi malum, me, aut quid ego agam, curatiost?

Sexcentis locis verbalia in *io* exeuntia construuntur apud Plautum cum casu verbi, Cf. Amph. I: 3: 21: *Quid tibi hanc curatio est rem,* Cas. II: 6: 54: *Quid tibi tactio hunc fuvit,* Curc. V: 2: 27: *Quid tibi istum tactio est.* Hoc autem loco duae constructiones in unam coaluerunt, et ita verba explicanda: „*quid tu curas aut me, aut quid ego agam*". Minus frequenter hac constructione utitur Terentius.

Vs. 35.

An ruri quaeso non sunt quos cures bovis?

bovis, acc. plur. pro *boves* legit Ritschelius secundum libros: unde efficitur genitivum *boum* non ex *bovum,* sed ex *bovium* esse contractum, sic ut *os, ossium, mus murium, lar, larium, lis, litium* etc.

Vs. 38.

Quam confidenter loquitur.

vulgo additur *fue,* quo tamen omisso melius constabit versus.

Vs. 40.

Germana inluvies, [rus merum,] hircus, hara suis,

Germanus proprie est idem quod *verus,* in quo nihil est alieni vel adulterati, quod vernaculo sermone dicimus *echt. Illuvies* est aqua luto turbida quae ripas fluminum excedit, inde significat id quod impurum et immundum est. *Germana inluvies* itaque est: *mera impuritas* et servus urbanus ita vocat servum rusticum, quod hic semper in opere immundo versatur. Verba sequentia: „*rus merum*"

Ritschelius restituit, quum in codicibus sit: *„rusticus"*, quod cum illo comparatum valde friget. *Rus merum*, figurate dictum, concinit cum proximis *Germana inluvies* et *hara suis*. Cf. Truc. II: 2: 14. *Rus merum hoc quidem est.*

Vs. 41.

Canes capro commixta. GR. *quid vis fieri?*

Canes pro *canis*, quemadmodum dicitur *vulpes* pro *vulpis* et (Rud III: 4: 43) *feles* pro *felis*. Verbi *fieri* prius *i* vulgo corripitur si syllaba sequitur litteris *er* incipiens, Plautus tamen multis locis producit, quorum nonnullos indicare lubet: Amph. II: 1: 17, 43, II: 2: 231, Capt. II: 5: 8, IV: 1: 2, Cas. I: 37, II: 5: 8, IV: 1: 2, Bacch. II: 3: 65, Grex 3, Most. III: 2: 33, 34, Men. V: 24, Pseud. III: 1: 20, Poen. III: 3: 111, V: 2: 96 et alibi passim.

Vs. 42—45.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.
Si tu oles . . . .
. . . . *neque superior cum ero accumbere,*
Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus
. . . .

Recte mihi videtur Ritschelius post verba *„si tu oles"* (vs. 43) et post *victibus* (vs. 45) lacunae notam posuisse. Si enim vs. 43 sq. continuata sententia legimus, et versus pravitas et grammatica difficultas in oculos incurrunt. Primo enim si numeros spectes, bis in eodem versu hiatum accipiamus necesse est, quod mihi quidem videtur solum fieri posse, si versus est asynartetus, sed in trimetris jambis id numquam fit; semel hiatum admitti non abhorret a Plauti consuetudine, sed bis in eodem trimetro, id vero omnibus legibus metricis mihi repugnare vi-

detur. Deinde grammatica quoque ratio obstat, quominus legamus hos versus continuata sententia. Incipit enim dicere: „*non omnes possunt olere*", tum pergit: „*neque superior accumbere.*" Atqui non licet in enuntiationibus coördinatis et copulatis per conjunctiones *et*, *neque*, *etiam*, cet. numerum mutare. Fieri posse hoc mihi videtur si in alterutro membro sit nomen collectivum, sed in hac verborum junctura sanae rationi repugnat. Lacunam Ritschelius hoc modo implet ex conjectura:

Si tu oles, [*at istis ego placere hau postulo*
Munditiis;] *neque superior cum ero accumbere,*

Ita legendo nec sententiae vis affertur nec grammatices legibus repugnatur. Primo enim Grumio dicit se non invidere Tranioni, neque invidia ductum alterum hoc modo alloqui (Cf. vs. 47—50), dein quod ad grammaticam attinet, etiam ei satisfactum est, quoniam nunc subjectum mutatur ex plurali numero in singularem. Post vs. 45 item rectissime lacuna notata, quoniam deest verbum unde ablativus *facetis-victibus* pendeat. Lacuna tali fere modo posset sarciri, e conjectura Ritschelii:

Si tu oles, [*at istis ego placere hau postulo*
Munditiis,] *neque superior cum ero accumbere,*
Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus
[*Aetatem exigere et deliciis voluptariis.*]

Vs. 48.

Sine me aliatum fungi fortunas meas.

Gronovius legit „*alliato*" vocabulo *me* deleto, et sic explicat: „*sine fortunas meas*, i. e., sine me tenui fortuna praeditum, *fungi*, i. e., defungi, contentum esse *alliato;* quae explicatio convenit cum iis quae Turnebus de hoc verbo dicit. Interpretatur nimirum *alliatum*, mo-

retum, cui allium admixtum est, atque adeo de omnibus cibis quibus allium intritum est. Quasi dicat Grumio: „sine me fortunis meis quae in cibo vel pane allio peruncto sitae sunt, patienter fungi et contentum esse.“ Magis mihi arridet explicatio, qua *alliatum* ad *me* refertur, ut significet eum qui allio vesci solet, sicut „unguentatus“ qui unguentis delibutus est. Itaque non *aliato*, sed *aliatum* legendum cum Ritschelio, quam lectionem Saracenus et Pius praebent, et sensus sic explicandus: *Sine me aliatum* (i. e. allio pastum) *fungi* (i. e. pati) *fortunas meas.* Ceterum *fungi* simili constructione et sensu est apud Lucretium: III: 735.

Et mala multa animus contage fungitur ejus.

Sueton. Aug. cap. 35: *Quo religiosius senatoria munera fungerentur*, Plaut. Men. I: 4: 4.

Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur.

Vs. 55.

O. carnuficium cribrum, quod credo fore:

Carnuficium cribrum significat „corium et tergum ejus stimulis (quos oblongos e sudibus praeacutis vel ferro praefixis gestabant ad hunc usum) ita crebro perforatum iri, ut cribrum repraesentet” Lipsius. Idem addit adjectivum *carnuficium*, quod carnificis opera ita multandus erat. Pro hoc vulgo male *carnificum*, quod etiam metro repugnat.

Vs. 56 sq.

Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimuleis [terebris], huc si reveniat senex.

In lectione quam tuetur Weisius:

Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat quamprimum senex.

verbum *quamprimum* mihi videtur alienum esse. Gru-

mio enim Tranioni minatur multas crudelissimas poenas, si senex Theuropides revertatur, nec ullum verbum muttit de tempore quo reversurus sit. Si *quamprimum* diceret, significaret Grumio se scire quando reversurus esset, quod nesciebat. Sunt qui explicent per hyperbaton, quod tamen nimis audax mihi videtur. Le Maire in Ed., illo verbo omisso ita legit:

Stimulis, si huc reveniat senex,

quod tamen ferri nullo modo potest, ob metrum. At Ritschelii conjectura nec sententiae, nec metricis legibus obstat. Cf. Mil. Glor. II: 6: 31.

Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur.

Ritschelius animadvertit: „Plane eodem modo quo poëta Pseud. I: 5: 132 *stilis ulmeis* et Stich. IV: 2: 56 *potione juncea* jungit cum verbis scribendi et bibendi, sic hoc loco *stimuleis terebris* jungit cum verbo forandi". Cf. Ritsch. Parerga p. 483.

Vs. 60.

Orationis operam compendi face,

Nullam causam video cur Ritschelius hoc verbum divisim scribat, quum primum codex *Da* et codices Pyladis praebeant unum verbum, deinde compositio ista nihil habeat quod offendat. Composita e verbis et nominibus sint maximam partem primae conjugationis, uti „mellifico, pacifico, belligeror", exemplum tamen huic simile, tertiae conjugationis sit „vilipendo".

Vs. 62 sq.

Ervom daturin' estis, bubus quod feram?

Date, si non estis. [*ceterum*] *agite pergite,*

Alter versus, qui in codicibus valde corruptus est, vulgo sic legitur, ut edidit Gronovius:

Date aes, si non estis. Agite, porro pergite.

quod sic explicandum est: „*Si non estis* daturi ervom, id est pabulum, *date aes*, quo emam. In hac lectione cum valde dura est omissio verbi *daturi*, tum illud molestum, quod supplendum est objectum *ervom* a priore *aes* diversum. Ritschelii lectio sic interpretanda: *Date* ervom, *si non estis*, i. e: si ipsi non editis, quae interpretatio firmatur eo, quod Grumio Tranioni servo objectat quod semper laute viveret et vilia pabula et esculenta, quorum e genere erat ervum, sperneret. Huic lectioni magis etiam favent codices, ut C, qui legit; „*date es inhonceste*".

Vs. 65.

Este, ecfercite vos, saginam caedite.

Saginam caedite pro: „*animalia saginata caedite*" i. e. „lautis et opiparis cibis utimini, Cf. vs. 236 „*Sagina planest*". Gronovius vero putat verba „*saginam caedite*" eodem modo posita esse quo „*cibum caedere*", unde „*cibicida*" (σιτοφάγος) apud Lucilium, scilicet pro „*edere*" sive „*cibum dentibus contruncare*". Prior tamen explicatio propriae verbi *caedere* significationi magis congrua est.

Vs. 69.

Quid est, quod tu me nunc optuere, furcifer?

furcifer dictus a *furca*, quae poenae causa cervicibus et humeris servorum imponebatur, manibus ad eam subligatis. Habuit formam litterae V. Hinc proprie servus, qui saepe hac poena afficiebatur, vocari solitus *furcifer*, deinde figurate quilibet sceleratus. In ambiguo hac significatione ludit Grumio, quum Tranioni respondet versu sequente:

Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.

h. e. tu me furciferum vocas, mox ipse *furca* multabere. Cf. Plut. Corior. Cap. 24. Donat. ad Terent. Andr. III: 5: 12, Bekker Gallus II pag. 125 sq.

Vs. 80—84.

Periere, et aedes et ager. qui nisi nunc redit,
. . . .
Paucorum mensum sunt relictae reliquiae.
Nunc rus abibo: nam hic quom erilem filium
Video corruptum ita ex adolescente optumo,
. . . .

Post vs. 80 et 84 recte Ritschelius lacunae notas posuit, nam verba: „*qui nisi nunc redit, paucorum mensum sunt relictae reliquiae*", mancam sententiam efficiunt: non enim, si senex non statim rediturus esset, id causa foret, quod parvae reliquiae superessent. Ritschelius acute suspicatus est ita fere legi posse:

. . . . *Qui nisi nunc redit*
[*Fame pereundumst familiae omni: quippe quoi*]
Paucorum mensum sunt relictae reliquiae.

Vs. 83 sq. vulgo sic leguntur:

Nunc rus abibo: nam eccum herilem filium
Video corruptum ex adulescente optimo.

deinde post vs. 84 aliquid excidisse manifestum est. Haec vero apto carent sensu. Nam omnino absurdum foret si Grumio eam ob causam rus abiret, quod advenientem videret filium erilem depravatis moribus; quare lacunam accipiendam puto cum Ritschelio, ita legendum conjiciente:

Nunc rus abibo: nam hic quum erilem filium
Video corruptum ita ex adolescente optumo,
[*Nimiae pol ea res dividiaest animo meo.*]

Ita in verbis bona sententia inest. Nam Grumio hanc ob causam dicit se rus abire, quod moerore maximo afficitur, propter corruptelam filii erilis. Firmatur Ritschelii conjectura „*hic quum*" pro „*eccum*" lectione codicis B „*ecquum*."

ACTUS II.

SCENA 1.

Haec scena nonnullos versus continet, quos Ritschelius interpolatos censet, quod num jure statuerit inquiramus. Primo loco vs. 87 sq.

Ego atque in meo corde, si est quod mihi cor,
Eam rem volutavi et dǐu disputavi,

ut nimiam prodentes loquacitatem, uncinis inclusit, quod haud scio an recte factum sit. Si enim bene perpendamus dicta vs. 85 sq.,

Recordatus multum sum et dǐu cogitavi
Argumentaque in pectus multa institivi,

eaque comparemus cum vs. 87 sq., in oculos incurrit hos versus non abundare. Philolaches enim seram mentis cogitationem sic describit, ut omnes ejus partes, momenta, gradus significet. Primum dicit: „*recordatus multum sum et diu cogitavi*" (vs. 85), his verbis generatim mentis meditatio indicatur; deinde singulatim co-

gitationis modum indicat verbis: „*argumenta in pectus multa institivi,*" (vs. 86) quod eodem modo dicitur atque „*rem in animum inducere*" tum „*ea* (*argumenta*) *in meo corde volutavi* et *diu disputavi*" (vs. 87 sq.), quo mentis agitatio in ratiocinando et disputando significatur.

Ita haec optime sese excipiunt. Etiam interpositum illud: „*si est quod mihi cor*" optime quadrat personae adolescentis, qui suae ipse levitatis, temeritatis, stultitiae conscius et pertaesus est. Significat enim: „nisi ego perversitate mea omnem cogitandi et ratiocinandi facultatem perdidi."

Vs. 89.

Hominem quoius rei similem esse arbitrarer [*simulacrumque habere.*]

in codice B sic legitur:

Hominem cujus rei quando natus est
Similem esse arbitrarer, simulacrumque habere.

Verba: „*quando natus est*" invecta esse e vs. 92 recte Ritschelius vidit; quibus ejectis et versibus duobus conjunctim lectis, apparet metrum in iis non religiose servatum esse. Quare ita legendum conjicio.

Hominem quoius rei similem esse arbitrarer
Simulacrumque habere. cet.

i. e. „*Cujus rei hominem similem esse arbitrarer,* cujusque rei *simulacrum habere* hominem"; verba nimirum: „*Simulacrum habere*" nituntur auctoritate plurium codicum, quare eos ejicere non ausim. Ita legendo etiam metrum optime constat: Prior enim versus est bacchiacus tetrameter, secundus bacchiacus dimeter.

Vs. 93 sq.

Atque hoc haut videtur veri simile vobis:

At ego id faciam ita esse ut credatis.

plane abundant quoniam eadem continent quae vs. 95—98.

Profecto ita esse ut praedico vera vincam.
Atque hoc vosmet ipsi, scio, proinde uti nunc
Ego esse autumo, quando dicta audietis
Mea, aliter hau dicetis.

quorum primus quoque recte a Ritschelio uncinis inclusus est. Nam si deleantur vs. 93 et 94, non apte cohaerent cum proximo vs. 92 (*ei rei argumenta dicam*): opus fuerat copula *atque.* Praeterea vs. 95 idem plane dicit quod vss. duo sqq.

Vs. 99 sq.

Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem:
Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.

perperam mihi videtur uncinis inclusisse Ritschelius. Thesi enim proposita (vs. 91 sq).

Novarum aedium esse arbitror similem ego hominem,
Quando hic natus est.

et monitis auditoribus persuasum ipsis fore eam veram esse, Philolaches eos hortatur ut sint attenti: *auscultate* cet.; in his, me judice, certe nihil est quod offendat. Verbum *gnarures* praeterquam hoc loco semel legitur Poen. Prol. 47.

. . . . . *aeque ut mecum sitis gnarures.*

Vs. 104.

Sibi quisque similis volt suo sumtu: operam non parcunt suam.

Hic versus mihi videtur perperam ejectus esse. Vs. 103 enim dicitur aedes pulchras ab omnibus laudari solere, omnes ex his aedibus exemplum sibi sumere, quibus optime adjicitur hoc: omnes sibi aedes habere velle illarum

similes, sive ad illarum exemplum aedificatas. Quare nullam causam video; cur versus expungatur, mallem tamen cum Camerario legere: „*operae non parcunt suae*," quoniam verbum *parcere* uno tantum loco (Curc. III: 11) apud Plautum cum acc. constructum invenitur.

Vs. 126 sq.

[*Expoliunt, docent litteras, jura, leges*
Suo sumptu et labore.]

Hos versus merito delevisse visus est Ritschelius. Primum offendit id, quod quum modo dixit: „*nec sumtus sibi sumptui esse ducunt*" (vs. 125) addit „*suo sumptu et labore*," quae sane est frigida verborum repetitio. Deinde comparat educationem liberorum cum aedificatione, idque generatim, non particulatim, quare addita ista: „*docent litteras*" cet. minus quadrant. Puto advecta esse a grammatico, qui sumtus illos parentium quo spectarent, accuratius vellet explicare. Quodsi hoc indicare voluisset poëta, non omisisset, opinor, alias artes, quibus juventus erudiebatur, eas dico, quae ad palaestram pertinent.

Vs. 151.

[*Arte gymnastica.*]

Hic versus nihil aliud videtur esse quam additamentum interpretis, quo significaret quae sequuntur: „*disco, hastis*", cet., ea omnia arte gymnastica contineri. Nam priora verba haec in familiari sermone venustius absunt quam adsunt. Deinde nullibi in hac scena versus creticus dimeter invenitur, quem antistrophica ratio, qua composita esse videtur, impedit quominus admittatur.

Vs. 155.

Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi:

videtur mihi esse servandus, dictum enim hoc non est *ταὐτόλογον* sed *ἀντίστροφον* potius versui praecedenti: *ego ceteris eram disciplinae; ceteri a me doctrinam sibi petebant.* Haec ambo, ut saepe fit, *ἐκ παραλλήλου* posita sunt. Et hactenus quidem de versibus interpolatis, nunc cetera tangamus.

Vs. 102.

Factae probe examussim,

versus hic melius constabit si, transpositis verbis *factae* et *probe*, legamus:

Probe factae examussim,

quod si fiat, necesse est ultima syllaba verbi *probe* corripiatur. Bacchiaci enim versus anacrusin quidem ferunt una longa vel duabus brevibus constantem, Cf. Aul. II: 1: 4 sq., Amph. II: 1: 15, Poen. I: 2: 30, numquam vero jambum. Exempla ultimae syllabae verbi *probe* correptae sunt: Mil. III: 3: 29, 61, Poen. V: 5: 1, Pseud. II: 2: 9.

Vs. 110.

Dominus indiligens reddere alias nevolt.

Nevolt, pro *„non vult“*, Cf. Trin. II: 2: 84, 87 et infra vs. 124 *„neparcunt“*.

Vs. 112.

Tigna, putefacit aer operam fabri:

Quidam codices hoc versu legunt *putrefacit*, quod mihi quidem legibus metricis repugnare videtur. Versus est creticus tetrameter acatalecticus. Requiruntur post verbum *tigna* duae syllabae productae. Si legitur *putrefacit*, hujus verbi duae priores syllabae sunt breves, quare admitti non potest, *putefacit* vero primam syllabam producit. Objiciat aliquis verbum *putrefacere* habere

primam syllabam longam positione debili, ob mutam cum liquida; sed animadvertendum, antiquissimos poëtas in positione debili numquam producere syllabam. Cf. Museum Phil. Rhen. VII pag. 610.

Vs. 120.

Primumdum parentes fabri liberum sunt.

Primumdum, legitur in Mil. II: 3: 26. Trin. I: 2: 61 et saepius.

Vs. 124 sq.

Sibique aut materiae neparcunt,
Nec sumtus sibi sumtui esse ducunt.

Hi versus mihi ita dividi debere videntur.

Sibique aut materiae ne parcunt, nec sumptus
Sibi sumptui esse ducunt.

ut evitentur bacchiaci trimetri, qui nullibi fere inveniuntur. Cf. vs. 89 sq.

Vs. 130.

Adminiculum eis danunt cet.

Danunt, pro *dant* positum invenitur quoque Merc. II: 1: 2, Pers. II: 3: 6, V: 2: 75, Pseud. III: 1: 1, Rud. III: 1: 2, Truc. I: 2: 85, II: 1: 34.

Vs. 132.

Igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.

Igitur apud antiquos scriptores interdum in apodosi ponitur. Plaut. Amph. I: 1: 54 „*sin aliter. . . . igitur*", Cas. II: 2: 39. „*mox, magis . . . . igitur.* Lucret II: 676 *cetera consimili . . . . igitur.* Cf. Ferd. Handii Tursell. III p. 185 sq.

Vs. 135.

Postea, quom immigravi ingenium in meum,

Ingenium per synizesin legendum.

Vs. 140.

Deturbavit detexitque de me ilico.

Detexit de me, Cf. Epid. I: 1: 67

Detegetur corium de tergo meo!

Ceterum in significatione *detrahendi*, ut hoc loco, illud verbum *detegere* etiam construitur cum acc. rei et dat. personae, vs. 162. sq.

Haec illast tempestas mea, mihi quae modestiam omnem
Detexit cet.

idemque constructum offendimus cum acc. rei et abl. alterius rei, sine praepositione *de*; Cf. Lucan. Phars. III: 128 et Sil. Ital. XIII: 168: *strictum propere vagina detegit ensem.*

Vs. 142.

Continuo pro imbre amor advenit

Pro imbre i. e. loco imbris; sententia est: „imber (sicut modo dixit) perpluit tigna et imbrices, amor perpluit cor meum"; significatur hoc amoris impetus.

Vs. 146.

Atque edepol ita tigna umide haec putent, non videor mihi dictum pro: „*ita putent ut non videar mihi* cet. Laxior hujusmodi junctura frequens est post *tantum abest*, quando pro altero *ut* ponitur indicativus. Cf. Cic. de Finn.: II: 17 „*is enim qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet tamen;*" cet., Ibid. V: 20: „*qua in vita tantum abest ut voluptates consectentur, etiam curas . . . . perferunt,*" Brut. cap. 80 „*Itaque tantum abfuit, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus.*

Vs. 153.

. . . . *victitabat volup.*

Huic versui desunt duo integri pedes, lacuna idcirco statuenda est, quam Ritschelius sic supplendam suspicatur:

[*Nec minus suo animo*] *victitabat volup.*

SCENA 2.

Vs. 158.

Nec quod me melius, mea Scapha, rear esse deficatam.

Pro *nec quod* equidem legere mallem *nec quo*, h. e. *nec ita ut*, quae lectio optime effici potest e lectione vulgata codicum, *quom me*, ut hic sit sensus: *numquam lavata sum libentius, nec ita ut melius deficata sim*, cet. Ceterum *deficatam* libri pro usitato *defaecatam*. Neutri formae obstat analogia; nam etiamsi a *caedo* sit *occido*, a *laedo illido*, a *claudo includo*, contra a *saevus desaevio*, a *praeda depraedor*, a *fraus defraudo*.

Vs. 159.

Eventus rebus omnibust, velut horno messis magnast

Horno messis magna est significat quod est hujus horae, hujus tempestatis, hujus anni. Praecipue usurpatur de frugibus, et dicebant: *hornas fruges, frumentum hornotinum:* Cic. Verr. III: cap. 18. *Hornus* factum esse videtur ab *hora*, eodem modo quo a *die diurnus*, a *vere vernus*; sicut Graece ὀπωρινός ab ὄπωρα, ἐαρινός ab ἔαρ, alia. *Hornum*, ut recte Gronovius, vel de *tempore* anni, vel de *proventu* accipi potest. Gronovius dicit id h. l. proventu loco dictum videri. Si ita est, quod sane proba-

bile, potius sensum esse oportet: „Omnibus actionibus eventus est id, quod messis copiosa est horno segeti," h. e. „felix eventus coronam imponit actionibus, ut messis proventui segetum."

Vs. 160.

Quid ea nam messis attinet ad meam lavationem?

i. e. *quidnam magna messis* cet. Ad haec quum Scapha respondet: „*nihilo plus quam lavatio tua ad messim*," manifestum est illam messem significari, quam mox domina messura est in fundo Philolachis, i. e. dona, quae ab illo acceptura est.

Vs. 174.

Hercle ego ob hoc verbum te, Scapha, donabo hodie aliqui [merito,]

Aliquî pro *aliqua re*, Cf. Aul. Prol. 24, Epid. III 1: 13, Mil. IV: 4: 45.

Quum in libris esset:

Ergo ob hoc verbum te, Scapha, donabo ego hodie aliqui, egregie Ritschelius verba correxit, ut supra leguntur. Tenendum vero *hodie* per synizesin esse legendum et *merito* dici pro: *ita ut merita es.*

Vs. 179 sq.

Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari aut meam speciem alios inridere.

Vel falso h. e. „etiamsi id falso fiat, tamen laudari multo malo". Sequens versus melius constabit si, transpositis verbis legatur:

Quam vero culpari aut aliòs meam speciem inridere.

Si enim legimus ut Ritschelius, aut *speciem* enuntiandum per synizesin, quo *speciem alios* efficiant quatuor syllabas (— ⏑ ⏑ —), aut in pede quinto proceleus-

maticus accipiendus, quem tamen melius est evitari.

Vs. 182.

Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta's. *Ita tu me ames*, formula jurandi, Cf. Ter. Adelph. IV: 5: 47 sq.

Ita velim me promerentem ames, dum vivas mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet

Vs. 184.

Quid? „ita haec me" quor non additumst? infecta dona facio.

Dolet Philolaches, quod Scapha dixit: *„ita Philolaches te amet"* additumque cupit: *„ita tu Philolachem ames."*

Vs. 185.

[*Periisti: quod promiseram tibi dono, perdidisti.*]

Hunc versum recte Ritschelius expunxit, quoniam nil est nisi interpretatio verborum: *„infecta dona facio"* vs. 184.

Vs. 193.

Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu. *Algu*, ablativus antiquus a nom. *algus*, pro *algore*, semel praeterea apud Plautum occurrit: Rud. II: 7: 24.

Vs. 196.

Moneo ego te: te ille deseret aetate et satietate.

Aetate, i.e., ob aetatem, quum senectus venerit. Cf. infra vs. 840.

Vs. 199.

Ex factis nosce rem: vide, ego quae sim et quae fui ante. Schopp. apud Gronovium legi voluit; *„vide quae sim. at quae fui ante!* Offendit eum nimirum mutatio modorum, *sim* et *fui*. Attamen non desunt alia hujusmodi exempla: Terent. Andr. IV: 1: 25 sq: *„Nescis. . . . . quantis in malis verser, quantasque . . . . . . confecit.*

Eandem constructionem tuetur Kritzius in Sall. Jug. 4. ubi vide copiosam viri doctissimi annotationem.

Vs. 200.

Nihilo ego sum amata setius, atque uni gessi morem,

Ante Ritschelium hic versus ex libris ita editus est:

Nihilo ego quam nunc tu amata sum atque uni modo gessi morem.

quam lectionem vitiosam esse, duas ob causas existimo. Primum propter metrum, revera enim si hoc modo legitur, versus est plane *ἄμετρος*, deinde propter sensum. Verbum *nihilo* enim numquam jungitur, nisi adjectivis vel adverbiis in comparativo positis. Deinde verba: *quam tu nunc* et *modo* ita otiosa sunt, ut sponte glossema prodant. Recte igitur Ritschelius inserto *setius* et supervacuis resectis, versum emendavit.

Vs. 203.

Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.

Pro *stimulatrici*, alii *simulatrici*, quod non aptum h.l. esse statim in oculos incurrit, siquidem Scapha nihil simulate loquitur, sed opinionem suam clare profert, atque dictis id efficere studet, ut Philematium diffidat Philolachi, quare recte ab eo vocatur stimulatrix.

Vs. 207.

Bene hercle factum, et gaudeo mihi nihil esse huius causa.

Mihi nihil esse, i. e; „*me penuria laborare*," sive, ut idem loquitur Asin. I: 2: 13: *me ad egestatis terminos redactum esse.*

Vs. 212.

Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.

Cf. vs. 192: „*Di deaeque me omnes pessumis exemplis interficiant*," Capt. III: 5: 33: „*Quando ego te exemplis*

excruciaro pessumis," i. e. „*ego te ita enecabo*, vel *cruciabo*, ut omnibus tua poena *exemplo* sit."

Vs. 218.

In anginam ego nunc me velim vorti, cet.

Angina est inflammatio faucium, Graecis συνάγχη dicta. Cf. Scaliger apud Gronovium et Celsus de Medic. IV cap. 4. Optat igitur festive se in talem morbum converti, ut veneficam istam praefocans enecet.

Vs. 226.

Morem gerundum censeo tibi et capiundas crinis.

Capiundas crines, i. e: „nubere te illi oportere, sive nuptae instar te gerere." Cf. Mil. III: 1: 194 sq., ubi Plautus, quum vult instrui ancillam ornatu matronarum ait:

Utique eam huc ornatam adducas in matronarum modum:
Capite compto; crines vittasque habeat.

Tibull. I: 7: 73 sq.

Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ovid. ex Ponto III: 3: 51 sq.

. . . . *Quarum nec vitta pudicos*
Contingit crines. . . . .

Legitur etiam apud Festum, pag. 339 Müll.: *senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit.* Cf. Gronovius Lect. Plaut. pag. 192. Itaque in hoc dicto *crines capere*, cogitandum de certo quodam crinium comendorum modo, quo nubentes utebantur.

Vs. 229.

Si quidem hercle vendundust pater, vaenibit multo potius,

Hic versus in editione Camerarii legitur hoc modo:

Si quidem hercle vendundum est, pater vaenibit multo potius, cet.

hinc vero inepta nascitur sententia, diceret nimirum Philolaches: „si quid vendundum esset amicae servandae gratia, venumdatum iri a se non aliud quid, sed patrem. Immo hoc dicit: Etiamsi patrem ipse vendere deberem, id potius facerem, quam te egestate premi sinerem.

Vs. 232.

Quom me videbunt gratiam referre bene merenti.

In libris hic versus mutilatus est. Gruterus, quem sequitur Weisius, sic legit.

Quom me fidebunt gratiam referentem rem ferenti.

Hoc vero si non inepte, invenuste certe dictum est: „meretricem scilicet profiteri se ei potissimum gratiam referre, qui rem i. e. pecuniam, lucrum sibi ferat. Multo honestius dictum, quod legit Ritschelius cujus emendationi certe, aeque atque priori, codices suffragantur.

Vs. 233.

Utinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur,

Cum his verbis, quae non tam inhumanum Philolachis animum, quam amoris dementiam, qua occoecatus crat, indicant, Cf. Naevius Tribacelo, apud Donatum ad Terent. Adelph. IV: 1: 6:

Deos quaeso ut adimant et patrem et matrem meos.

Vs. 235.

Iam ista quidem absumpta res erit: cet.

Particula *jam* hoc loco ponitur pro: *mox, statim,* Cf. Cic. Tusc. Disp. IV cap. 24. *Remove perturbationes: jam videbuntur monstra dicere,* Id. de Finn. IV cap. 23, *Catuli, qui jam despecturi sunt, caeci aeque, et ii, qui modo nati.* Id. de Harusp. Resp. cap. 25. *Tollatur haec e civitate dis-*

cordia: jam ommes isti, qui portenduntur metus, exstinguentur. Terent. Eun. IV: 6: 27: *Omitte: jam adero.* Id. Heaut. IV: 6: 18. *Bono animo es: jam argentum ad eum deferes.*

Vs. 238.

Nam neque edes quicquam neque bibes aput me his decem diebus.

Camerarius legit *me iisce*, Lambinus *me hisce*; E lectionibus codicum *isdec, isdem* multo facilius elicias lectionem Ritschelii: *his decem* quam *hisce.* Et numerus recte additus est, quemadmodum nos: *„in de eerste acht of veertien dagen".*

Vs. 239—244.

Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:
Nec recte si illi dixeris, iam ecastor vapulabis:
Ut videas eum medullitus me amare.

PHILOLACHES.

Oh, probus homo sum:
Quae pro me causam diceret, patronum liberavi.
Edepol si vel summo Iovi eo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem.

Hi versus in ceteris editionibus perturbato ordine leguntur, nempe hoc:

Edepol si vel summo Iovi eo argento sacrificassem,
Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem.
Ut videas, eam medullitus me amare! Oh, probus homo sum:
Quae pro me causam diceret patronum liberavi.

et tribuuntur omnia Philolachi. Nempe verba Philola-

chis: „*Oh, probus homo sum, quae pro me causam diceret patronum liberavi*" manifestum est spectare ad praegressa dicta Philematii, quibus vetuit, mali quid in eum dici. Et quae haec praecedunt: „*eum medullitus me amare*," multo aptius conveniunt Philematio quam Philolachi. Nam hujus amor tali testificatione non indigebat, illam vero contra, cujus fidem Scapha omnibus modis tentare et labefactare studuerat, sincerum erga Philolachem animum aperte testari plane decebat. His amatae dictis optime respondent haec Philolachis: „*Oh, probus homo sum*," cet, quibus deinceps apte subjunguntur: „*Edepol si vel summo Iovi*" cet, quibus dicit se argentum, quo eam liberaverat, non melius collocare potuisse, propterea quod eo amorem Philematii firmiorem reddiderat. Ceterum *ut videas* significat, „unde perspectum sit, sive unde perspectum esse potest."

Patronum communi genere etiam dici pro muliere, quae eo officio fungitur, ex hoc loco apparet. Pro verbis *eo argento* (vs. 243), in quibusdam editionibus legitur: *vivo argento*, quod quid significet non intelligo. Rostius, Opusc. Plaut. pag. 132—134 dicit haec verba eodem modo explicanda esse, quo verba Ciceronis, pro Flacco cap. 37, „*dat de lucro, nihil detrahit de vivo*" et Verr. III cap. 50: „*de vivo igitur erat aliquid resecandum*, quibus locis *vivum* opponitur ei quod lucro acquiritur, estque *sors*, et caput *pecuniae*, ita ut is qui *sortem* diminuere coactus est, quasi de *vivo* corpore aliquid detrahat et resecet. Addit porro *vivum* idem significare atque *nativum*, *purum*, *solidum*; quae etsi vera sunt, tamen vocabulum *vivus* hic inconveniens est. Primum non sermo est de sorte pecuniae, sed de argento,

quo soluto Philematium liberata erat (Cf. vs. 300) itaque eo sensu poëta dicere omnino hic non potuit: *vivum argentum;* quid autem significant verba: *si nativo* vel *puro argento summo Iovi sacruficassem?* Explicatio Borrichii, quam Rostius affert, dicentis *vivum argentum* hoc loco esse idem, quod Graeci *ὑδράργυρον* vocant, nihili facienda. Multo igitur melius legitur: *eo argento*, ut efficere licet e lectione codicum quorumdam: *si summo iovi bo argento*, ubi verbum *bo* facile ex *eo* corruptum esse potest. Vitium facillime ortum est ex iterata syllaba ultima praecedentis vocabuli, ut ex *Iovieo* factum sit *Iovi vivo.*

Vs. 247.

[*Si aeceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.*]

Versus hic confictus est e vs. 224, et hic non modo otiosus est, sed etiam sensui parum convenit.

Vs. 248.

Cedo mi speculum et cum ornamentis arculam actutum, Scapha.

Arcula, eadem *capsula* vocatur, qua aurum, gemmae ceteraque ornamenta asservabantur. Aliae erant majores *arcae*, in quibus servabantur vestimenta, apposita aromatis, quae suavem odorem iis adderent, unde jam apud Homerum *εἵματα θυώεντα.* Cf. Böttiger Sabina, pag. 370.

Vs. 250 sq.

Mulier quae se sŭamque aetatem spernit, speculo ei usus est:

Quid opust speculo tibi, quum tute speculo's specimen maxumum?

Verba Scaphae hoc significant: „mulieri, quae aetatem suam et formam dissimulare vult, ei speculum prodesse

potest, ut se comet et ornet et expoliat; tibi vero non opus est speculo, quoniam tua pulchritudo tam splendens est ut speculo ipsi maximum specimen sit, ut nullam imaginem nitidiorem referre possit eâ, quam a te acceperit. Itaque non admittenre necesse censeo Ritschelii emendationem: „*cum tute speculo's specimen maxumum.*" Ad sententiam nihil interest utrum *specimen* an *speculum* legas; hoc vero ob lusum verborum *speculo speculum* venustius est.

Vs. 253.

Dabo aliquid hodie peculi tibi, Philematium mea.

Tibi, Philematium mea, jocus *παρὰ προσδοκίαν*, quem vocant. Namque e verbis Philolachis expectares, ei in animo esse dicere: „*tibi Scapha*", ille autem nondum oblitus irae, qua modo in hanc exarserat, orationem mutat, et Scaphae in loco Philematium suam subjicit Cf. Bacch. III: 4: 4—6.

Nae illa illud hercle cum malo fecit — meo:
Nam mihi divini numquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planeque — amo!

Vs. 258.

PHILEM. *Cedo cerussam.* SC. *Quid cerussa nam opust?*
PHILEM. *Malas qui oblinam.*

Cerussa erat fucus perusitatus antiquis, quo mulieres colorem magis rubrum reddere studebant. Usus fucandae faciei tam pervulgatus erat, ut temporibus imperatorum etiam medici cosmeticae arti operam darent. Cf. Bött. Sab. pag. 45, 47, 214.

Vs. 261.

PHILEM. *Tum tu igitur cedo purpurissum.* SC. *Non do: scita's tu quidem.*

Verba: *scita's tu quidem* ironice dicta sunt pro *stulta's*, quae scilicet lepidam faciem, adhibito fuco corrumpere, sicut picturam novo pigmento interpolare vis.

Vs. 266.

Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo dimminuam caput.

Velim lapidem, Cf. Amph. V: 1: 6., *aquam velim*, Asin. III: 3: 34, *noctem tuam et vini cadum velim*, Pseud. II: 2: 4 sq. *Nimis velim (aliquem) certum qui mihi faciat*, Rud. I: 3: 35. *Saltem aliquem velim*. Similiter Graece *βούλομαι* cum acc. construitur.

Vs. 268.

Ut speculum tenuisti, metuo ne olant argentum manus: Non serio hoc dictum, sed est potius derisio puellae nimis sollicitae de amato, quare cavendum jubet, ne is forte suspicetur Philematium suam ab aliis amatoribus pecuniam accepisse; Cf. vs. 267. Ceterum specula apud antiquos facta erant ex argento polito, eaque interdum tantae erant magnitudinis, ut totum corpus in iis conspici posset. Cf. Seneca Quaest. Nat. I: cap. 17, *specula totis paria corporibus*, Bött. Sab. pag. 67, 114, 400, 419; de speculo Laidis, pag. 326 sq.

Vs. 274.

Nam istaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles, *Interpoles*, ab *interpolando;* mulieres vetulae, quae pigmentis colorem juvenilem quasi renovare student. Cf. Gronovius Lect. Plaut. pag. 193.

Vs. 282.

Agedum, contempla aurum et pallam, satin' haec me deceat, Scapha.

Pallam; mulierum vestes constabant tribus partibus prae-

cipuis: *tunica interiore*, qua corpus nudum tegebatur, eratque sine manicis; *stola*, ad imos pedes demissa, et manicis instructa, qua superiorem tantum brachii partem tegebant, eaque *fibula* constringebatur et in parte inferiore erat *instita;* Cf. Horat. Sat. I: 2: 29.

Quarum subsuta talos tegat instita veste:

Ovid. Art. Am. I: 32.

Quaeque tegis medios instita longa pedes.

tum *palla*, qua utebantur tantum quum exirent. Erat haec vestis mulieribus, quae *toga* viris, in qua induenda maximam curam adhibebant. Modo magis, modo minus demittebatur, nonnumquam ad pedes usque, interdum adeo ut terram verreret, sicut in scena fieri solebat. Cf. Ovid. Am. III: 13: 23 sq.

Qua ventura dea est, juvenes timidaeque puellae
Praeverrunt latas veste jacente vias.

His addendum *ricinium*, genus veli. Varro L. L. V: 132 „*Antiquissimis amictui ricinium.* Festus p. 277: *Ricae et riculae vocantur parva ricinia ut palliola ad usum capitis facta.* Cf. Bekker Gallus III, pag. 138—150 et loci ibi citati, Bött. Sab. pag. 378 sq.

Vs. 283—292.

. . . . . Eloquar.
Philolachem: is ne quid emat, nisi . . . .
. . . . quod tibi placere censeat.
[Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.]
Quid opus est, quod suum esse nolit, id ei ultro ostentarier?
Purpura aetas occultandast: aurum turpest mulieri.
Pulcra mulier nuda erit, quam purpurata, pulcrior.
[Poste nequiquam exornatast bene, si moratast male.

Pulcrum ornatum turpes mores peius caeno conlinunt.]
Nam si pulcrast, nimis ornatast.

Postquam Philematium quaesivit e Scapha, num aureus ornatus et palla purpurea, qua esset induta se decerent, et Scapha ei respondit id sua non referre, suum non esse curare num vestes eam decerent, rursus quaerenti, quemnam igitur hoc curare oporteret, haec dicit: *Philolachem: is ne quid emat nisi quod tibi placere censeat* cet. Ritschelius existimavit primos versus (vs. 284 sq.) esse mutilos et tali fere modo resarcien dos:

Philolachem: is nequid emat, nisi [*quod te decere censeat.*
Quod illi placeat, cura, quam] *quod tibi placere censeat.*

cui equidem non assentior. Mutemus vs. 285 *tibi* in *sibi*, et optima, ni fallor, exit sententia, nempe haecce: „Me non curare oportet, num quis ornatus te deceat, sed Philolachem, *is videat ne quid emat, nisi quod sibi placere censeat*, h. e., ne tu, quem ille sibi emit, aliter ornata sis atque amatori sive emtori placeat. Huic explicationi congruit sequens sententia, quam Ritschelius uncinis inclusit; sed sive versus iste sit poëtae, sive interpolatoris, indicat certe, quid isto „*ne quid emat*" poëta intellexerit; non aurum vel purpuram intellexit sed meretricem, meretricis mores, obsequium. Atque his optime quadrant sequentia: Quid igitur opus est ostentare illi aurum et purpuram, quibus te sibi emit: immo fac ut ipsa per te illi placeas. Quod ad vs. 290 sq.: *Poste nequiquam* cet. Ritschelio assentior, qui eos expunxit, propter abundantiam sententiarum, quibus haec scena jam nimis scatet, tum quod verba „*nam si pulcrast*" (vs. 292) referri tantum possunt ad superius dicta (vs. 289), quare interpositis illis nexus turbatur.

Vs. 293.

Nam quid hic vos agitis? PHILEM. *Tibi me exorno.* PHIL. *Ornata's satis.*

Libri post „*tibi me exorno*" inserunt verba „*ut placeam*", repugnante metro, quare recte haec ut interpolata delevit Ritschelius, cujus lectio habet quidem hiatum post quintum pedem, tamen hoc loco ferri potest propter mutationem personarum.

Vs. 308.

'Age accumbe igitur, cédo aquam manibus, púere: appone hic ménsulam.

Versus ita lectus peccat adversus leges metricas. Si enim scanditur, ratione habita ad accentus rythmicos hic appositos, in primo pede pro trochaeo bacchius ponitur, quod num liceat vereor. Quam ob causam mihi videtur hoc modo legendus, hiatu admisso post verbum *age:*

'Age, accumbe igitúr. cedo aquam manibús, pŭer: pone hic ménsulam.

puer per synizesin contrahendum est.

Vs. 309.

Vide, tali ubi sint. vin unguenta? PHIL. *Quid opust? cum stacta accubo.*

Stacta est oleum e cinnamomo et myrrha incisa sudans (a Graeco στάζω, stillo), igitur ad verba Philematii „*vin unguenta*" lepide Philolaches respondet „*cum stacta accubo*", i. e. non opus est mihi unguentis, quoniam accubo cum ea, quae mihi est instar omnium unguentorum.

Vs. 311.

Is est [profecto]: Callidamates eccumst. euge, oculus meus:

Hic versus in editione Weisii sic legitur:

Is est, est Callidamates: eccum, incedit. Euge oculus meus:

Quae lectio vitiosa mihi videtur. Verbum enim *incedit* nullo alio modo explicari posse credo, nisi ut interpretamentum inter lineas scriptum, quod deinde in textum irrepsit. Et re vera non necesse est addatur post verbum *eccum*, quod jam satis denotet Callidamatem advenire, Fleckeisenius proposuit hunc et praecedentem versum sic legere:

Set estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum sua amica? is est:
Callidamates cum amica eccum incedit. euge, oculus meus:

Quae lectio etiamsi minus recedat a codicibus, tamen propterea non placet, quod repetitio verborum *cum amica* nimis languida mihi videtur, et verbum *incedit* etiam hoc loco supevacuum est. Quam ob rem maxime probo supplementum, Ritschelii *profecto*, Cf. Amph. Prol. 120: *Nam meus pater intus nunc est, eccum, Iupiter.*

Vs. 312.

Conveniunt manuplares eccos, praedam participes petunt.

Manuplares sunt commilitones, proprie milites ejusdem manipuli, qui arctiore conjunctionis vinculo erant consociati, ut domi curiales, tribules.

SCENA 3.

Vs. 313.

Advorsum veniri mihi ad Philolachem

Hic versus melius constare mihi videtur si legimus cum Hermanno:

Advorsum veniri mihi ad Philolachetem

quae forma accusativi etiam exstat vs. 349 et 616, quo efficitur Bacchiacus tetram. acat. Haec verba Callidamates dicit servo, qui in indice personarum *advorsitor* vocatur, cujus officium erat dominum suum opperiri si rediret. Cf. Bekker. Gall. II pag. 112, Ter. Adelph. I: 1: 2, Plaut. Men. II: 3: 87, Most. IV: 1: 26.

Vs. 320—322.

DELPH. *Semper istoc modo [tute] moratu's:*
. . . . *vita debebas*
CALL. *Visne ego te ac tu med amplectare?*

Hi versus, qui in codicibus corrupti et mutilati sunt, antea sic edi solebant:

DELPH. *Semper istoc modo moratus vivere*
Debebas. CALL. *visne*, etc.

Atqui luce clarius est ineptum haec habere sensum. Delphium scilicet amatorem suum hortaretur ut semper tali modo viveret, ut nunc facit, h. e. ut semper ebrietati se dederet; quare Ritschelio assentiendum notanti lacunam post *moratu's*, quam tali fere modo suppleri posse conjicit:

Semper istoc modo [tute] moratu's :
[Animo moderari, mea] vita, debebas.

quibus verbis inest lenis exprobratio cum admiratione conjuncta.

Vs. 330.

Iacentis tollet postea nos ambo aliquis.

Hic versus etiam sic legitur:

Tollet jacentes post nos ambos aliquis.

quo efficitur creticus tetram. cat., cui tamen obstare videtur, quod in primo pede palimbacchius pro cretico positus est, quod vereor ut liceat. Potius igitur probandam censeo Ritschelii lectionem, qua efficitur optimus bacchiacus tetr. acat. Lectio haec firmatur cod. B., excepto quod *ambos* habet pro *ambo.*

Vs. 333—335.

CALL. *Hem tene.* DELPH. *Age i i simul.*
Quo ego eam, an scis? CALL. *Scio: in mentem venit modo.*
Nempe domum eo commissatum. DELPH. *Immo [huc].*
CALL. *Istuc quidem iam memini.*

Hos versus Hermannus inter personas sic distribuit:

CALL. *Hem tene.* DELPH. *Age i i simul.* CALL. *Quo ego eam, an scis?*
DELPH. *Scio.* CALL. *In mentem venit modo: nempe domum eo commissatum:*
Immo istuc quidem memini iam.

Quae distributio mihi quidem perperam facta esse videtur, propterea quod minus aptum est, mea opinione, Callidamatem, quem bene teneas esse ebrium eoque nescire quid faciat, postquam Delphium rogavit ut se teneat et ducat, ex ea quaerere num sciat quo eat. Del-

phii multo magis est id illum rogare, quo certior fiat an iter illi notum sit. E quibus sequitur verbum *scio* Callidamati tribuendum esse, cui nimirum oblito, ubi esset vel quo iret, quaestione Delphii in memoriam revocantur omnia. Quod attinet ad vs. 335 istud *immo* tribuendum est Delphio. Callidamates enim modo dixerat (vs. 313), se ire velle ad Philolachem, neque more hominum ebriorum meminerat quae dixisset, quare Delphium dicit: non domum is, verum *huc*, i. e. ad Philolachem, cujus ante aedes haec omnia agi mihi quidem apertum videtur. Particulae *immo* in responsis plerumque esse *adversandi* vim, qua vel augeatur quid vel corrigatur, vel etiam plane opponatur prioribus verbis, nemo nescit.

Vs. 338.

Iam revortar. PHILEM. *Diust iam [tuum] id mihi.*

Hermannus hunc versum sic scribit

Iam revortar. PHILEM. *diu- est ïam- id mihi.*

de quo equidem cum Brixio (Quaest. Pros. p. 50) dubitanqum puto, propter duos hiatus, quos offendimus. Igitur facio cum Ritschelio inserente *tuum* et legente *iam*, sublata diaeresi. Ceterum multo simplicius mihi videtur versus 336—340 et 342 esse creticos tetram. cat., quam cum Ritschelio statuere eos compositos esse e dimetro cretico et tripodia trochaica; vs. 340 tamen necesse est legamus: *omnium hominum.*

Vs. 342.

Unde agis te? CALL. *Unde homo ebrius probe.*

Vocabulum *probe* vulgo perperam tribuebatur Philolachi, qui si isto verbo uteretur, approbaret Callidamatem ebrium esse et venire e loco, unde homo ebrius solet venire, i.e.

a commissatione, quod tamen ei displicere in dubium vocari non potest. Callidamatem enim vocat ad se, ut secum biberet, quod certe nec potuisset nec voluisset facere, si ille jam ebrius esset.

Vs. 345.

Non mirum aut novom quippiam [nunc] facit.

Haec verba rectius tribuuntur Delphio, ut quae de Callidamate loquatur suumque amatorem melius novisset quam Philematium.

Vs. 347.

Da cito ab Delphio cantharum circum.

Ab Delphio, i. e. a Delphio ordiens. Cf. Cic. de Legg. I cap. 7 „*ab eo nobis causa ordienda est potissimum.*" Nep. Them. cap. 1 „*ab initio est ordiendum.*" Asin. V: 2: 40 „*da ab summo*" Pers. V: 1: 19. *Cantharus*, qui ab inverso scarabaeo nomen duxisse videtur, fuit magnum quoddam poculum, amplo ore, duplici ansa instructum. Sacer fuit Libero patri et compotationibus peraptus. Cf. Ussing, de nominibus vasorum Graec. (Hauniae 1844) pag. 134.

SCENA 4.

Vs. 350.

Occidit spes nostra: nusquam stabulumst confidentiae.

Nusquam stabulumst confidentiae, *Stabulum*, ut saepe *portus*, metaphorice positum, ita ut haec verba significent: „nihil est, quo confidentia niti possit."

Vs. 351.

Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest:
Cf. Capt. III: 3: 2—4,
Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se.
Hic ille est dies, quom nulla vitae meae salus sperabilis,
Neque exitium exitio est, cet.

Ibid. vs. 14.

Neque iam Salus servare, si volt, me potest,
Dictum in proverbium abiisse: *ipsa Salus te servare non potest*, apparet e Ter. Ad. IV: 7: 43, Cic. Verr. III: 57.

Vs. 356.

Ubi sunt isti plagipatidae, ferritribaces viri.
Plagipatidae, vox comice conficta, significat eos, qui lucri causa plagas patiuntur. Verbum proprie usurpari potest de parasitis, qui nimirum omnia perferre possunt, dummodo bene epulentur. Cupit Tranio adesse aliquem, qui pro se poenas det. Cf. vs. 355. *Ferritribaces*, verbum usurpatum de iis, qui ut plurimum ferreis vinculis tenentur compediti, quorum igitur nihil interest utrum semel an saepius poenas luant.

Vs. 357 sq.

Vel isti, qui trium nummorum causa subeunt sub falas
Vel ubiquomque denis hastis corpus transfigi solet?
Trium nummorum causa: respicit poëta stipendium militare, quod erat duorum obolorum sive trium assium; nisi potius *tres nummos* universe pro exiguo pretio dixit, ut in fabula Trinummo IV: 2: 1 sq.

. . . . ego operam meam
tribus numis hodie locavi ad artes nugatorias.

Dicit hoc loco: „ubi sunt strenui illi homines, qui minimo pretio auctorati, sub falas, i. e. turres ligneas

hostium, subeunt?" In editione quam curavit Le Maire additur *hastis*, quod mihi quidem ita interpretamentum olere videtur, ut expungendum censeam. Vs. 358 Weisius et Le Maire sic legunt:

Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent?

in qua junctura *corpus* foret accus. pendens a verbo *transfigi*, quam tamen constructionem non memini me apud Plautum usquam invenire. Praeterea, quominus *quindenis* legamus, prohibet divisio exercitus Romani, cujus nimirum minima pars erat decuria, decem militibus constans, nec umquam quindecim. Igitur probanda Ritschelii lectio, quae facile ex illa elicitur, quaeque tantum abest ut sententiae vim inferat, ut eam emendet, quoniam Tranio convocat omnes homines strenuos, eos nimirum, qui ubicumque pericula vel maxima subire audeant.

Vs. 360.

Set ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia.

Bis pedes, bis brachia, i. e., ut singuli pedes et singulae manus non singulis, ut solitum, sed quo firmius teneantur ad crucem, singula binis clavis affigantur.

Vs. 361.

Ubi id erit factum, a me argentum petito praesentarium.

Hac lege vel centum talenta promittere potuisset, cui vel plumbeus nummus non erat. Ceterum *praesentarius* sive *praesentaneus* est ex eo vocabulorum genere, a quo aurea aetas abstinuit.

Vs. 366.

Pater inquam tuus venit. PHIL. *Ubi is est obsecro?* TR.
[In portu iam] adest.

Editio Weisii secundum Gronovium sic legit:

Pater, inquam, tuus venit. PHIL. *Ubi is est, obsecro te?*
TR. *Adest.* PHIL. *Adest?*

Similiter Le Maire, omisso tamen verbo Philolachis „*Adest?*". Utraque tamen lectio mihi quidem improbanda videtur, quoniam multo magis consentaneum est, Tranionem ad quaestionem Philolachis: „*ubi is est, obsecro?*" non solum respondere patrem adesse, verum etiam locum indicare ubi esset, quo facilius adolescentibus tempus vacaret abeundi a commissatione omnesque alienos e domo emittendi. Lectio Ritschelii firmatur auctoritate codicis B.

Vs. 373.

DELPH. *Callidamates, Callidamates, vigila.* CALL. *Vigilo: cedo bibam.*

Vulgo legitur: „*cedo ut bibam*", quod metro repugnat, quoniam sic amphibrachys pro trochaeo positus esset, quod numquam licet. Utraque enim syllaba verbi *cedo* corripitur. Cf. Amph. V: 1: 27, Capt. IV: 2: 59 bis, Curc. I: 1: 75, I: 3: 46, II: 3: 28, V: 2: 54 et alibi passim.

Vs. 379 sq.

. . . . *miserumst opus,*
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet:

Miserumst opus cet., proverbium tractum ab iis, qui tum demum, quum sitis urit et torret fauces, fodere puteum incipiunt; significat autem, miserum esse, tum demum rem necessariam providere aut parare, quum necessitas urget et tempus parandi non datur. Vid. Lambin. ad h. l.

Igitur demum, in apodosi positum, respondet nostro: „*eerst dan, eindelijk eens*". Rursus haec conjungit Plautus Rud. IV: 2: 25, Merc. III: 2: 9. Cf. Gronov.

Vs. 395.

Ei mihi, quam istaec blanda dicta quo evenant, madeo meta.

Madeo metu, poëta dicit, quia metus saepe humorem sive sudorem e corpore exprimit.

Vs. 398.

DELPH. *Morigerae tibi erimus ambae.* TR. *Ita ille faxit Iuppiter.*

Tranio jocatur in voce *morigerae*: dicit se sperare, fore ut sibi, i. e. libidini suae, morigerae sint. Cf. Cist. I: 3: 26 sq.

Propinquam uxorem duxit cognatam suam.
Ea diem suam obiit; facta morigera est viro.

Cas. V: 2: 20, Amph. III: 3: 26 sq.

Vs. 404. sq.

. . . . . *Clavem mi harunc aedium Laconicam*
Iam iube efferri intus: . . . . . .

Clavis Laconica erat, qua domus intus et foris claudebatur; inventum erat Laconum, diversum ab eo genere clavium, quae intus tantum claudebant, quales olim claves apud Graecos fuisse docet Scaliger ad h. l. et Meurs. Miscell. Lacon. Lib. II, cap. 17, ubi locus Theonis citatur hicce: *οὐχ, ὡς νῦν, ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ᾽ ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ᾽ Ἀιγυπτίοις καὶ Λάκωσιν.* Illae idcirco *κρυπταὶ κλεῖδες* vocantur apud Aristophanem, quae videntur ita dictae, quod impactae claustris vix apparerent. Ceterum de januarum claustris Cf. quae disputavit Beckerus in Gallo, II. pag. 228 sqq. edit. sec.

Vs. 407—412.

Pluma haut interest, patronus an cluens probrior siet:

. . . .

Homini, quoi nulla in pectorest audacia,
[*Nam cuivis homini, vel optumo vel pessumo*]
Quamvis desubito facilest facere nequiter:
Verum id videndumst, ...

Lectionem Ritschelii *probrior* idcirco improbandam censeo, quod nusquam invenitur positivus *prober* vel *probrus* unde ille comparativus derivari possit. Vs. 407 Gronovius legit *propior*, locumque explicat sic: „solebant judicio periclitantibus advocati esse tam patroni quam clientes, et hi *proximi*, tum *adesse*, *superesse* et signatis verbis dicebantur. Parum refert patroni magis nomen an magis clientis ferat, proximus sit, qui timidus est, eoque non plus adjumenti adest quam si numquam natus sit." Mihi Tranio hoc loco videtur comparationem facere inter se, tamquam *patronum*, et Philolachem, ut *clientem*. Si legimus *probior*, aptissima sententia efficitur haecce: *Pluma haut interest*, i. e. exiguum discrimen est inter te et me: tu fecisti illicita, clam patre; ego, qui tibi custos sum relictus, amores tuos celo patrem, atque ita faveo malefactis tuis, quare tu non probior es me. Inde efficitur post vs. 407 aliquid excidisse, quo sententia, eo versu inchoata, absolveretur. Manifestum quoque est novam sententiam a vs. 409 ordiri, ideoque, quoniam nihil est quo vs. 410 illud *nam* referri possit, hic versus expungendus, quo omisso facile vs. 409 cum vs. 411 conjungitur.

Vs. 419 sq.

. . . . *perii. eho, iamiam optume*
Praeceptis pares. Pu. *Erus te jussit maxumo* cet.

Hi versus apud Weisium et Le Maire leguntur hoc modo:

. . . . *Perii! o, iamiam optume*

Praeceptis paruisti! PU. *Iussit maxumo —*

Recte autem Ritschelius inseruit „*erus*" sensu flagitante. Si autem ita legimus, necesse est cum illo mutemus *paruisti* in *pares*, ut metrum constet. Sententia quoque melior fit, si utimur praesenti tempore, quod *iamiam* paene flagitat.

Vs. 424.

Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.

Capite obvoluto, ut in maximo timore et tamquam morti devotus. Lambinus confert Horat. Sat. II: 3: 37 sq.

Nam male re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen, cet.

ubi vid. Heindorfius.

Vs. 430.

Unde advenienti sarcinam inponam seni.

Sarcinam imponere est locutio proverbialis pro: „molestiam afferre" vel „ludificari." Cf. vs. 778 „*Vehit hic clitellas*" et Mil. III: 3: 61 „*Probe oneratum accibo.*"

ACTUS III.

SCENA 1.

Vs. 436.

Apage, apage te a me nunc iam post hunc diem:

Pro *iam* melius hic legitur *ïam* per diaeresin.

Vs. 437.

Quod crediturus tibi fui, omne credidi.

i. e. nullam rem amplius tibi credere volo.

Vs. 449.

Usquin valuisti? . . . . . .

Pro *usquin* vulgo legitur *usquen* sive *usquene*. Prior forma tamen potior est, quoniam in compositionibus saepe vocalis *e* in *i* mutatur, v. c. ex *inde* et *idem* fit *indidem*, ex *unde* et *que*, *undique*. Ea lectio firmatur quoque codd. mss. in quibus invenimus „*usque invaluisti*". Comparentur *illic* ex *ille* et *ce*, *istic* ex *iste* et *ce*, cet.

Vs. 457—467.

Tr. *Tetigistin?* Th. *Tetigi, inquam, et pultavi.* Tr. *Vah.* Th. *Quid est?*
Quomodo pultare potui, si non tangerem?
Tr. *Male hercle factum.* Th. *Quid est negoti?* Tr. *Non potest*
Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.
Th. *Quam ob rem? aut quam subito rem mihi adportas novam?*
Tr. *Occidisti hercle.* Th. *Quem mortalem?* Tr. *Omnis tuos.*
Th. *Di te deaeque omnes faxint cum istoc omine*
Tr. *Metuo, te atque istos expiare ut possies.*
Th. *Quid iam?* Tr. *Fuge obsecro atque abscede ab aedibus.*
Fuge huc, fuge ad me propius: [*tene terram manu:*]
Et, heus, iube illos illim amabo abscedere.

Horum versuum perturbatio aliqua facta erat; vulgo enim leguntur hoc ordine:

Tr. *Tetigistin?* Th. *Tetigi, inquam et pultavi.* Tr. *Vah!* Th. *Quid est?*
Tr. *Male hercle factum!* Th. *Quid est negoti?* Tr. *Non potest*
Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.

Th. *Quid iam?* Tr. *Fuge, obsecro, atque abscede ab aedibus.*
Fuge huc, fuge ad me propius! Tetigistin fores?
Th. *Quomodo pultare potui si non tangerem?*
Tr. *Occidisti hercle.* Th. *Quem mortalem?* Tr. *Omnis tuos.*
Th. *Di te deaeque omnes perduint cum istoc omine.*
Tr. *Metuo, te atque istos expiare ut possies.*
Th. *Quamobrem, aut quam subito rem mihi adportas novam?*
Tr. *Et heus, iube illos illinc, amabo, abscedere.*

Perperam. Postquam enim Theuropides ad quaestionem Tranionis „*tetigistin?*" dixit: *tetigi, inquam, et pultavi*" et Tranio denuo exclamavit „*vah!*", consentaneum est illum cum admiratione dicere „*quomodo pultare potui, si non tangerem.*" Porro, postquam Tranio dixit, senem indignum factum perpetrasse, haud mirum videri potest, si quaerat: „*Quamobrem*", cet. (vs. 461), quae verba apto sensu carent post vs. 464 „*metuo,*" cet. Theuropides nunc rogat: „*quam novam rem Tranio afferat,*" i. e. quid sit illud factum, de quo loquitur; quibus verbis optime respondent haec: „*Occidisti hercle*" cet. (vs. 462), quibus pronuntiatis, nemini non in oculos incurrit, Theuropidem, ira commotum propter illam accusationem, quasi in parenthesi exclamare: „*Di te deaeque*" cet. (vs. 463), et Tranionem, quasi illa non audiat, orationem suam persequi verbis: „*Metuo,* cet. (vs. 464). Apte jam sequitur quaestio Theuropidis: „*Quid iam?*" et responsum Tranionis: „*Fuge obsecro*" cet. (vs. 465—467).

Vs. 463.

Di te deaeque omnes faxint cum istoc omine —

Suppl. *male perire,* auctore Gronovio; est aposiopesis. Cf. Terent. Hec. I: 2: 59 „*At te di deaeque cum tuo istoc odio, Laches*" sc. perdant. Plaut. Pseud. I: 1: 35. Cic.

ad. Att. XV ep. 20. *dii illi mortuo, qui umquam Buthrotum.*

Vs. 466.

. . . . [*tene terram manu:*]

vulgo: „*tetigistin foris,*" quae verba e vs. 457 iterata perperam huc irrepserunt planeque inepta sunt. Verba, quae Ritschelius e conjectura reposuit, pertinent ad genus quoddam venerationis et cerimoniae in rebus, quae ad Deos inferos pertinerent, de quibus hoc loco sermo est. Cf. vs. 468 sq. et quae ibi e Turnebo affert Gronovius.

Vs. 469.

. . . . . . *Obsecro hercle, quin* [*intro imus huc?*]

Lubentissime assentior Ritschelio, qui illa verba posuit pro vulgatis: „*quin eloquere iam,*" quae nihili sunt, quum non cohaereant cum versu sequente. Tranio enim respondere potuit vs. 470: „*Quia septem menses sunt,*" cet., sed tum etiam in quaestione Theuropidis aliqua certe mentio facta esse debuisset de intranda domo. Videtur in codice fuisse lacuna et postea aliena manu haec verba e vs. 472 adscripta esse.

Vs. 471.

Nemo intro tetulit . . . .

Tetulit saepius exstat in Plauto: Cf. Amph. II: 2: 178, Men. II: 3: 35, IV: 2: 26, 72, Rud. Prol. 68, IV: 1: 2.

Vs. 475.

Tr. *Caputale factumst.* Th. *Quid id est? non intellego.*

Omnes codices favent scripturae:

Tr. *Capitalis aedis facta est.* Th. *Non intellego.*

quae cur improbetur equidem non video. Capitalis locus enim dicitur is (inquit Festus), ubi, si quid violatum

est, capite violatoris expiatur. Itaque optime dici potest, *capitalis aedes*, nec opus est recedamus a lectione vulgata. Hinc sequitur etiam, h. l. *aedis*, sive *aedes* singulari numero recte dici, quod re vera is locus, ubi facinus illud atrox perpetratum erat, sacer factus erat, quo sensu fere semper singulari numero usurpatur. Pro *domo* positum invenitur Poen. III: 1: 26; pro *villa* Varro. L. L. IV, cap. 33.

Vs. 476 sq.

Scelus, inquam, factumst iam diu antiquom et vetus,
[*Caputale:*] *id adeo nos nunc factum invenimus.*

Antiquum et *vetus* sic differunt, ut illud denotet aliquid, quod ante fuit, nec amplius exstat, hoc significet aliquid quod per longum tempus exstitit. Ergo Plautus dicit: „*antiquum scelus*", quoniam jam pridem factum erat, *vetus*, cujus vestigia nondum evanuerant.

Vs. 477 pro „*caputale*" in plurimis editionibus legitur: „*Antiquom?*" quod tribuitur Theuropidi. Melius tamen videtur cum Ritschelio legere *caputale*, quoniam et repetitio verbi *antiquom* e superiore versu nimis languet, et illud sensui magis convenit, quo explicatur quare domus capitalis facta sit; quod Theuropides non intellexerat (vs. 475); Tranioni igitur id tribuendum.

Ibid. *adeo nunc; adeo* hoc loco idem significat, quod Graecum γέ, quo nimirum rei cuidam vel ejus attributo major vis additur; ut in *ἔγωγε, αὐτός γε, νῦν γε*, cet. Germanice: *gerade, eben;* vernacule, *juist.*

Vs. 488.

Atque ille exclamat derepente maxumum.

Particula *atque* indicatur hic temporis nexus et continua series. Cf. Hand. Tursell. I, pag. 480.

Vs. 495 sq.

Interdum inepte stultus es, [*Theuropides.*]
Th. *Taceo.* Tr. *Set ecce, quae illi ille inquit* [*mortuos:*]
In editione Weisii hi versus in unum conflati sic leguntur:

Interdum inepte stultus's. Sed ecce, quae ille ait:
melius tamen erit cum Ritschelio supplere vs. 495 nomen *Theuropides*, eumque versum in duos partiri. Ritschelii correctio nititur auctoritate codicis B, lectionem exhibentis hancce:

Interdum inepte stultus es.
Th. *Taceo,* Tr. *sed ecce quae ille inquit.*

Atqui priori versui desunt duo integri pedes, quare Ritschelius recte inseruit „*Theuropides*", quod nomen facile excidere potuit. Alter vero claudicat metro, quem sic legendum censeo ut Ritschelius facit, insertis *illi* et *mortuos.*

Vs. 500 sq.

. . . . *per fidem*
Deceptus sum: . . . . .

Sic saepe veteres. Cf. Cic. pro Rosc. Am. cap. 40: „*Ad cujus igitur fidem confugiet, cum per ejus fidem laeditur, cui se commiserit?*", Liv. I: 9, Caes. B. G. I: 46.

Vs. 504.

Scelestae haec aedes, impiast habitatio.

Vulgo locus, ubi scelus quoddam commissum erat vel aliquid mali acciderat, scelestus vocabatur, ut v. c. *Via scelesta*, in qua Tullia paternum corpus obtriverat, *Porta scelesta*, qua Fabii exierant. Simili sensu *impia* vocatur *habitatio*, quam nefas est occupare, foedatam cruore nondum expiato.

Vs. 510.

Perii: illisce hodie hanc conturbabunt fabulam.

Haec verba Tranio secum loquitur. Nimirum socii commissationis intus erant et casu quodam aliquid concrepuit, quo audito Theuropides Tranionem de hac re certiorem facit, qui metuens, ne strepitus seni posset indicare se mentitum esse, haec verba loquitur.

Vs. 512—514.

Th. *Quid tute tecum loquere?* Tr. *Abscede ab ianua:*
Fuge, obsecro hercle. Th. *Quor fugiam?* Tr. *Etiam tu fugis?*
Th. *Nihil ego formido: pax mihist cum mortuis.*

Tranio, ut magis persuadeat seni aedes scelestas esse, illum strepitum, quem audiverat, nihil aliud esse dicit, nisi vocem submissam hospitis mortui. Vs. 513 sq. vulgo personae sic distinguuntur:

Tr. *Fugc, obsecro hercle.* Th. *Quor fugiam? Etiam tu fugis?*
Tr. *Nihil ego formido, pax mihi est cum mortuis.*

At post verba Theuropidis: „*Quor fugiam*", Tranio eum iterum incitat ad fugam. Ad quae Theuropides apte respondet: „*Nihil ego formido*", cet., quae verba non bene conveniunt cum iis, quibus Tranio modo animum meticulosum prodidit, ideoque servo non tribuenda.

Vs. 515.

Heus, Tranio . . . .

Recte Ritschelius et Rostius (Opusc. Plaut. II pag. 136) animadverterunt, haec verba Theuropidi tribui non posse. Apparet enim e vs. 517 Tranionem verba vs. 515 sq. non dicere Theuropidi, quippe cui tum nulla causa esset, cur diceret: „*quaeso quid . . . . segregas?*" Igitur magis mihi

placet cum illis haec verba tribuere uni eorum qui intus erant, fortasse Philolachi, qui nimirum scire cuperet quo in loco res esset. Quem tum servus monet ne se appellet, timens ne tali indicio argueretur et a sene in manifesto mendacio deprehenderetur, quam ob causam etiam fingit illud spectrum secum loqui. Cf. vs. 520.

Vs. 517 sq.

TH. *Quaeso quid [istuc est? quor sermonem] segregas?*
[TR. *Cave verbum faxis.* TH. *Quae r*] *es te agitat, Tranio.*

Hi versus in plurimis editionibus uno versu continuati leguntur, verum in tribus codicibus B, C, D vestigia supersunt duorum versuum, hoc modo:

Queso . . . . *Quid segreges.*
. . . . *este agitat tranio*

unde vulgo hic versus conflatus est:

Quaeso, quid aegre est? quae res te agitat, Tranio?

verum sensus postulat ut statuamus aliquid excidisse. Primum Tranio ad Philolachem vel unum eorum, qui intus erant, separatim verba fecerat (vs. 515 sq.). Theuropides, qui cum eo jam diu sermocinatus erat neque explicare poterat, quid esset cur servus ad alium verba faceret, non potuit non eum rogare causam hujus rei, quod facit vs. 517; cujus igitur versus supplementum factum a Ritschelio probandum censeo. E vestigiis versus alterius apparet Theuropidem e Tranione quaesiisse quae res eum agitaret et tantopere sollicitum teneret; quae quaestio fieri non poterat post vs. 517. Hanc ob causam mihi quidem cum Ritschelio certum videtur, inter ea quae exciderunt, fuisse etiam verba Tranionis, quae recte ille supplevit, quippe optime cum animo meticuloso illius servi convenientia

Vs. 524 sq.

Th. *Quor non fugis tu?* Tr. [*Sine me: sat, quid agam,*] *scio.*
Th. [*Hem,*] *quid modo igitur? cur tanto opere extimueras?*

Hi versus vulgo leguntur sic:

Th. *Cur non fugis tu?* Tr. *Pax mihi est cum mortuis.*
Th. *Scio. Quid? modo igitur cur tantopere extimueras?*

Quod attinet ad verba ultima prioris versus: „*Pax mihi est*" cet., ea Ritschelius recte mihi videtur statuisse iterata esse e vs. 514, quae hanc etiam ob causam spuria judico, quod propter animum meticulosum Tranionis huic servo parum conveniunt, Theuropidi autem hoc loco tribui non possunt, quoniam non cohaerent cum verbis ejus: „*Quor non fugis tu*"? Hinc sequitur etiam verbum *scio* non esse Theuropidis. Ingeniose Ritschelius lacunam, quam statuendam esse nunc nemo, opinor, erit, qui neget, supplevit, versibus sic interpolandis, ut supra descripsi.

Vs. 528.

Atque Herculem invoca. TH. *Hercules, te ego invoco.*

Nimirum Herculem *ἀλεξίκακον* ac portentorum domitorem. Eodem modo apud Aristophanem, in Plut. vs. 417, Chremylus, quum videbat horridam squalidamque *Πενίαν*, exclamat: „*Ἡράκλεις*". Cf. Turnebus ad h. l. Ceterum versum, qui vulgo sic legitur:

Atque Herculem invocabis. TH. *Hercules, te invoco!*

claudicante metro, emendavit Ritschelius, mutato futuro in imperativum, qui hic aptior est et inserto verbo „*ego*". Quibus dictis Theuropides abit, quod efficias e verbis Tranionis vs. 529—531:

Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malum.
Pro di immortales, obsecro vostram fidem,

Quid ego hodie negoti confeci mali.
quae certe numquam pronuntiavisset, si adfuisset senex.

SCENA 2.

Vs. 532 sq.

Scelestiorem ego annum argento faenori
Numquam ullum vidi, ...

Scelestiorem vocat annum, qui magna infelicitate premitur, *ἀτυχέστερον*. Cf. vs. 563.

Vs. 537 sq.

Danista adest, qui dedit [argentum faenori,]
Qui amicast empta quoque [opus in sumptus fuit.]

Hi duo versus in editione Weisii uno ordine leguntur sic:

Danista adest, qui amica est emta, qui dedit.

quae omnino nihil significare, nemo non videat. In codice B apertissime duorum versuum spatium monstratur verbis sic positis:

Danista adest qui dedit . . . .
Quî amica est empta quoque . . . .

Lacuna igitur in hoc codice relinquitur, quam jam Gronovius, exemplum secutus Camerarii, sic supplevit ut Ritschelius habet.

Vs. 546.

Pergam turbare porro: ita haec res postulat.

Turbare, i. e. turbas excitare, ut vs. 1032 et 1053.

Vs. 549 sq.

. . . . TR. *Ei misero mihi:*
Metuo ne techinae meae perpetuo perierint.

Techinae, ita optimi codicis auctoritate scribit Ritschelius pro *technae*, quamquam hoc metro satisfacit. Ceterum haec Tranio secum loquitur. Cf. vs. 551.

Vs. 554 sq.

TR. *Negat.* [TH. *Negat, inquam.* TR. *Perii, rem*] *quom cogito.*
[*Non confitetur?* TH.] *Dicam, si confessus sit.*

Hi versus mutili leguntur in codicibus B. C. D. hoc modo:

TR. *Negat* . . . . *quom cogita*
. . . . *dicam si confessus sit*

Extrema prioris versus verba nullius esse possunt nisi Tranionis, quae ille secum loquitur; itaque consentaneum est praecedere verba: „*Perii, rem*"— quibus insertis efficitur aptissima exclamatio servi, qua significatur, illum in timore versari. Hinc sequitur, post verbum Tranionis „*negat*" Theuropidem aliquid dixisse, quod interciderit; id nihil aliud esse potuit nisi affirmatio iterata eorum, quae jam dixit. Porro, postquam Tranio secum: „*Perii, rem quom cogito*", etsi jam satis certus est, venditorem, a quo Theuropides aedes suas emerat, factum de hospite necato pernegare, tamen simulat se credere non posse, necullam fidem haberi iis quae narravit. Quocirca non mirum videtur verba: „*Non confitetur?*" excidisse, quibus nunc apte respondet Theuropides: „*dicam, si confessus sit.*" Probabiliter igitur Ritschelius lacunam supplevit, auctore Gronovio.

Vs. 557.

Cape, obsecro hercle te, una cum eo iudicem:

Quoniam aedes, quas Theuropides emerat, scelestas et

impias esse servus mentitus erat, venditor autem nullum verbum de spectro muttivisset, Tranio senem hortatur, ut actionem furti intendat in eum, quo magis scilicet persuadeat seni, ut suis fidem habeat mendaciis.

Vs. 561.

Qui mihi nec faenus nec s rtem argenti danunt.

Pronomen ad utrumque, herum et servum, pertinet. Cf. Aul. III: 2: 23 sq.

EU. *Etiam rogas, sceleste homo? qui angulos omnes*
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis.

Amph. II: 2: 107 sq.

. . . . . . *Cur igitur praedicas,*
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?

Vs. 562.

TH. *Quo te agis?* TR. *Nequoquam abeo. ne ego sum miser,*

Nequoquam idem quod *non quoquam*, i. e. *in nullum locum.* Cf. Liv. XXXIV: 16. i. f. *Priusquam inde quoquam procedere*, Lucret I: 1053 *Neque quoquam posse resolvi*, i. e. „*in aliquam rem.*" Plurimi libri scripti et editi habent *nec quoquam*, quod ipsum quoque conjunctim scribi potuit *necquoquam*, pro *nequoquam*. Antiquos enim *nec* pro *ne* dixisse, docet Festus s. v., unde in nonnullis compositis remansit, ut in *necopinus*, *negotium* (*nec-otium*).

Vs. 566.

Set occupabo adire . . . .

Occupare est hoc loco *antevertere aliquem*"; igitur significat: „ibo ad eum priusquam ad me eat." Timuit autem Tranio ne, si danista prius veniret ad se, ille hoc facturus esset nimio cum clamore, quo Theuropides omnem rem edoceretur. Cf. vs. 576. De illa constructione verbi *occupare* Cf. Pseud. IV: I: 17 sq.

. . . . *dum ille dormit, volo*
Tu prior occupes adire. cet.

Poen. I: 2: 110—112:

Quae habent nocturna ora, noctu sacruficatum ire occupant;
Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulo
Sacruficare: cet.

Vs. 567.

. . . . TR. *Hilarus est. frustrast homo.*

In editione Weisii sic distinguuntur personae:

. . . . , . . DAN. *Hilarus est.* TR. *Frustra est homo.*

neminem tamen fugiet verba; „*hilarus est*" non a danista, sed in danistam dici, ut qui hilaris erat, quia sperabat argentum sibi redditum iri. *Frustra esse* dicitur cujus consilium, conatus, spes inanis est, fallitur. Cf. Amph. III: 3: 20, Capt. IV: 2: 75, Men. IV: 3: 18, Merc. III: 1: 30, Pers. I: 3: 60, Rud. IV: 3: 41, IV: 7: 29, Truc. IV: 2: 45, Sall. Jug. Cap. 7, 74, 87.

Vs. 568.

Salvere iubeo te, Misargyrides, bene.

Misargyrides Μισαργυρίδης, quasi qui pecuniam oderit, ironice appellatur pro Philargyride, Φιλαργυρίδης.

Vs. 570.

Continuo adveniens pilum iniecisti mihi.

i. e. „impedimentum mihi attulisti et quasi pilo injecto moratus es me." Metaphora ducta a Romanorum acie. Cf. Gronovius Lectt. Plautt. pag. 198. Pila, genus hastae, gerebant milites gravis armaturae, qui in proeliando primum, modico spatio ab hostibus distantes, pila conjiciebant; deinde res gladiis gerebatur. Lipsius comparat dictum hoc Ciceronis, pro Mur. cap. 24: „*Quam te securim injecisse putas petitioni meae.*"

Vs. 571.

Dan. *Hic homost inanis.* Tr. *Hic homo certest ariolus.*

Inanis, h. e. inanis a marsupio, i. e. qui ne nummum quidem habet. Ad quod Tranio festive respondet: „*hic homo certest ariolus,*" quippe qui tam acute verum divinasset.

Vs. 575.

Dan. *Quid est?* Tr. *Concede huc.* [Dan. *Quin mihi faenus red*]*ditur?*

Hic versus in codicibus B. C. D. sic legitur cum lacuna: *Quid est? concede huc* . . . . *ditur* quae suppleta est e codice F et edit. princ., ubi tamen legitur „*argentum*", pro quo recte Ritschelius reposuit „*faenus*", coll. vs. 580 et 584.

Vs. 585.

Heu, hercle nunc tu abi modo domum: ausculta mihi.

Pro „*nunc tu abi*" vulgo legitur „*nae tu abi*", quod non probandum; nam *nae* usurpatur ab iis, qui confidenter aliquid affirmant, numquam vero a jubentibus. Cf. Amph. I: 1: 172. *Nae ego homo infelix fui*, Asin. II: 4: 3 *Nae ille edepol* . . . . *consuluit*, Aul. III: 2: 33. *Nae ego edepol veni huc auspicio malo*, et sexcentis aliis locis.

Vs. 586—618.

Dan. *Iam hercle ego illum nominabo.* Tr. *Euge strenue.*
Dan. [*Heus, Philolaches, exi intus, faenus reddito.*]
Tr. *Beatus vero es nunc, quom clamas.* Dan. *Meŭm peto.*
Multos me hoc pacto iam dies frustramini.
Molestus si sum, reddite argentum: abiero.
Responsiones omnis hoc verbo eripis.
Tr. *Sortem accipe.* Dan. *Immo faenus, id primum volo.*
Tr. *Quid ais tu? tun', hominum omnium taeterrume,*

Venisti huc te extentatum? agas quod in manust.
Non dat, non debet. DAN. *Non debet?* TR. *Ne gry quidem*
Ferre hinc potes. an [vis ali]quo hinc abeat foras.
Urbe exulatum faenoris causa tui?
DAN. [*Quid id ad me? modo nunc reddat argentum mihi.*]
TR. *Quin sortem [iam redhi]bebit.* DAN. *Quin eam non peto:*
Mihi faenus reddat, faenus actutum mihi.
TR. *Molestus ne sis: nemo dat: age quod lubet.*
Tu solus credo faenore argentum datas.
DAN. *Cedo faenus, redde faenus, faenus reddite.*
Daturin' estis faenus actutum mihi?
Daturne faenus? TR. *Faenus illic, faenus hic.*
Nescit quidem nisi faenus fabularier
Veterator: neque ego taetriorem beluam
Vidisse me umquam quemquam quam te censeo.
DAN. *Non edepol nunc tu me istis verbis territas.*
TH. *Quod illuc est faenus, obsecro, quod illic petit?*
TR. *Pater eccum advenit peregre non multo prius.*
Illius: is tibi faenus et sortem dabit.
Ne inconciliare quid nos porro postules.
Vide num moratur. DAN. *Quin feram, si quid datur.*
TH. *Quid ais tu?* TR. *Quid vis?* TH. *Quis illic est? quid illic petit?*
Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic et praesenti tibi facit convitium?
Quid illi debetur? cet.

Horum versuum in codice Ambrosiano perturbatio facta est, cujus sanandae modum Ritschelius, propter multas verborum ambages, non ausus est tentare. Proposuit tamen aliquam medendi rationem in praefatione editionis hujus fabulae, pag. XII—XIV, nimirum hancce:

DAN. *Multos me hoc pacto iam dies frustramini.*
TR. *Molestus ne sis. nemo dat: age quid lubet.*
DAN. *Molestus si sum, reddite argentum: abiero.*
Responsiones omnis hoc verbo eripis.
TR. *Sortem accipe.* DAN. *Immo faenus, id primum volo.*
TR. *Quid ais tu? tun', hominum omnium taeterrume,*
Venisti huc te extentatum? agas quod in manust.
Non dat, non debet. DAN. *Non debet? Ne gry quidem*
Ferre hinc potes. an [vis ali]quo hinc abeat foras.
Urbe exulatum faenoris causa tui?
[DAN. *Quid id ad me? modo nunc reddat argentum mihi.*]
TR. *Quin sortem [iam redhi]bebit.* DAN. *Quin eam non peto:*
Mihi faenus reddat, faenus actutum mihi.
TR. *Tu solus, credo, faenore argentum datas.*
DAN. *Cedo faenus: redde faenus: faenus reddite.*
Daturne faenus? TR. *Faenus illic, faenus hic.*
Nescit quidem nisi faenus fabularier
Veterator. neque ego taetriorem beluam
Vidisse me umquam quemquam quam te censeo.
DAN. *Non edepol nunc tu me istis verbis territas.*
Iam hercle ego illum nominabo. TR. *Euge strenue.*
[DAN. *Heus, Philolaches, exi intus: faenus reddito.*]
TR. *Beatus vero es nunc, quom clamas.* DAN. *Meum peto.*
TH. *Quid ais tu?* TR. *Quid vis?* TH. *Quis illic est? Quid illic petit?*
Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic et praesenti tibi facit convitium?
TR. *Pater eccum advenit peregre non multo prius*
Illius: is tibi faenus et sortem dabit.
Ne inconciliare quid nos porro postules.
DAN. *Daturin' estis faenus actutum mihi?*

Tr. *Vide num moratur.* Dan. *Quin feram, si quid datur.*
Th. *Quod illuc est faenus, obsecro, quod illic petit?*
Quid illi debetur? cet.

quae paucis explicare conabor. Post vs. 585, quo Tranio dixit: „*tu abi modo*", aptius videtur danistam respondere „*multos me hoc pacto iam dies frustramini*", quoniam propter penuriam, qua laborabat Philolaches, coacti erant saepius jam id dicere danistae, qui nunc, morae impatiens, haec verba effert, necdum tamen ita iratus erat, ut jam ad minas vs. 586 enuntiatas procederet. Ad haec apte Tranio iterum dicit: „sibi pecuniam non esse, danistam igitur non debere *molestum esse*, quoniam *nemo esset qui daret*" (vs. 601). Quibus danista respondet: „uno modo tantum efficere potes ut abeam, nimirum *argento reddendo*" (vs. 590 sq.). His dictis sermo recte procedit usque ad vs. 600, post quem Tranio, indignatus ob pertinaciam danistae, ex eo quaerit, num putet neminem alium esse qui daret pecuniam foenore? se igitur, si umquam sibi pecunia opus foret, certe non ab eo petiturum. Nunc magis instat danista, ira commotus propter ea quae dixerat Tranio: „*Cedo faenus, redde faenus*" cet. (vs. 603—605); at Tranio, quem jam dudum piget ejus repetitionis, exclamat: „*faenus hic, faenus illic*" cet. (vs. 605—608). Danista, qui nihil petebat nisi debitum, respondet „*non me territas istis verbis, omnia quae dicis nil moror, si tu non vis placide mihi argentum reddere, Philolachetis nomen alta voce exclamabo*" (vs. 586, 609). Quoniam Tranioni in animo erat eum ad incitas redigere, dicit: „*fac quod dicis, clama quantum potes* (vs. 586). Jam danista facit quod modo promiserat et Philolachetem magno clamore vocat (vs. 587, sup-

pletum a Ritschelio). Ironice servus reponit: „*Beatus vero*" cet. ad quod danista „*nihil facio alieni, nihil peto nisi quod meum est*" (vs. 588). Theuropides, qui hucusque nihil de eorum colloquio intellexerat, nunc audito nomine filii sui, aptissime sermonem interpellat dicens: „*Quid ais tu?*" et Tranio ad eum accedens: „*Quid vis?*", iterumque Theuropides: „*Quis illic est*" cet. (vs. 615—617). Tranio rursus ad danistam se convertens, ei persuadere conatur patrem argentum illi redditurum (vs. 611—613). Danista, his parum fidei habens, exclamat: „*Daturin' estis*" cet. (vs. 604). Quem ut placet Tranio, dicit: „*Vide num moratur*", et danista, qui diutius expectare non vult, profert verba: „*Quin feram*" cet. (vs. 614). Denique Theuropides, quoniam Tranio ad quaestionem nondum responderat, iterum eum rogat, *quid sit illud faenus, de quo collocuti sunt* (vs. 610): deinceps inde a vs. 618 omnia justo ordine procedunt. Post vs. 586 aliquid excidisse hanc ob causam certum mihi videtur, quod post minas danistae, et stimulationem Tranionis, illum facere oportuit quod promiserat; quare Ritschelius commode lacunam supplet hoc modo:

Heus, Philolaches, exi intus, faenus reddito.

Pro „*hoc verbo eripis*" (vs. 591) Rostius (Opusc. Plaut. I. pag. 136 sq.) recte reposuit: „*hoc verbum eripit*": nam ita tollitur mutatio numeri, quae explicari nequit. *Eripit* habet Cod. Lips. et Edit. Princ.

Vs. 593.

Quid ais tu? tun'.

Acute Ritschelius hoc loco pronomen iteravit, quod convenit animo indignabundo. Cf. Capt. II: 3: 84. Men. IV: 2: 95, V: 9: 17.

Vs. 594.

Venisti huc te extentatum?

Extentare, frequentativum verbi *extendere*, significat *majore vi extendere:* itaque *extentare se* est corpus suum, h. e. vires, nervos, latera, pulmones. Sic *extentare nervos* Lucret. III: 491. Verba haec significant: „Venisti huc ut vires laterum tuorum clamando experires, atque ostenderes." Verbum *extentare* tam aptum est, ut nec lectio *ostentatum*, nec conjectura Camerarii *exter-natum*, quamvis utraque doctissimos nacta sit patronos, ei sint anteponendae.

Vs. 595.

Ne gry quidem, est Graecum *οὐδὲ γρύ*, quod proprie de vocis sono dictum esse, e verbo inde derivato *γρύζειν* patet, unde proprie dicitur *οὐδὲ γρὺ ἀποκρίνεσθαι*, similia; deinde ad alias res translatum significat id. quod *ne hilum quidem*, sive *ne tantillum quidem.* Ceterum debetur haec lectio Acidalio, a quo recepit Ritschelius

Vs. 596 sq.

Ferre hinc potes. an [vis ali]quo hinc abeat foras
Urbe exulatum faenoris causa tui?

in codicibus B. C. D. sic leguntur mutili:

Ferre hoc potes an . . . . Quo habeat foras
Urbem exsul. . . . . his causa tui

quam lacunam Camerarius, duce ex parte Pylade, sic supplevit:

Ferre hoc potes? an [mavis ut ali]quo abeat foras?
Urbem exul [linquat factis] hic causa tui?

editio Weisii hoc modo:

Ferre hinc potes. An [mavis, ut] abeat foras,
Urbem exul [linquat, actus] hinc causa tui?

Le Maire cum Gronovio Camerarii lectionem recepit, nisi quod pro *factis* posuit *factus*. Quicumque has lectiones cum Ritschelii emendatione comparaverit, non dubitabit hanc illis anteponere. In priore versu *hinc abeat* acute factum ex *habeat;* in altero istud *factus* sive *actus* jam supervacuum est. Ritschelii lectio pro parte affirmatur auctoritate codicis A, quem Schwartzmannus animadvertit eam lectionem exhibere:

URBE-EXULATUM . . . . CAUSATUI.

Ceterum manifestum est post vs. 597 aliquid excidisse, quia verba Tranionis vs. 599 non bene cohaerent cum iis quae ipse dixit vs. 597. Lacunam Ritschelius supplet sic:

DAN. *Quid id ad me? modo nunc reddat argentum mihi.*

quibus congruit Tranionis responsum vs. 599:

Quin sortem [iam redhi]bebit.

quemadumdum rursus e conjectura recte scripsit Ritschelius, quum in codicibus B. C. D. sit:

Quoi sortem . . . . . . licebit. DAN. *quin non peto:*

Post hunc versum in editione Weisii leguntur verba:

TH. *Eia, mastigia, ad me redi.* TR. *iam istic ero.*

quae e vs. 741 male huc illata sunt.

Vs. 602. *Datas,* a verbo *datare* quod factum similiter ut *nature.* Cf. Aul. IV: 4: 10, Pseud. II: 2: 32, Simile est *votare* infra vs. 869.

Vs. 613. *Inconciliare,* i. e. *irritare, alienare, inimicum facere.* Cf. Trin. I: 2: 99.

Inconciliastin' eum, qui mandatust tibi?

Pers. V: 2: 58.

Eo credo, quia non inconciliavit, quom te emo.

Turnebus comparat Horatianum *inimicare,* Od. IV: 15: 19 sq.

Non ira, quae procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.

Vs. 629.

Adeo etiam faenus creditum argenti audio.

Adeo hoc loco habet vim *augendi* sive *intendendi*, ut haec verba sic explicanda sint: „*huc etiam accedit, quod audio*" cet. Cf. Amph. I: 1: 101.

Hoc adeo hoc commemini magis.

Ibid. II: 2: 55.

Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.

Cf. porro Aul. IV: 2: 16, Capt. II: 2: 98, III: 3: 4. Men. Prol. 21, IV: 2: 32, et alibi passim.

Vs. 632.

Velim quidem hercle ut uno nummo plus petas.

Haec verba Tranio pronuntiat ita, ut post *petas* aposiopesis statuenda sit; nimirum sententia haec est: „si uno nummo plus peteres quam tibi debetur, certe me tenere non possem quin te enecarem.

Vs. 640 sq.

Nam postquam haec aedes ita erant ut dixi tibi,
Coutinuost alias aedis mercatus sibi.

Hi versus vulgo leguntur post vs. 650, ubi nemo non concedat alieno loco positos esse. Postquam enim rogaverat Theuropides, quid eo argento factum esset, quod a danista sumsissent, et Tranio responderat, Philolachem emisse aedes, senex secum dicit: „*Euge Philolaches patrissat* (vs. 638 sq.); et Tranio, quasi oratio non abrupta fuisset, pergit loqui et causam enarrare, cur erilis filius has aedes emisset, quod apte facere non potuit post vs. 650, quo loco non sermo est de causa emtionis, sed de pretio et arrabone.

Vs. 644 sq.

Th. *Nam quid ita?* Tr. . . . .

. . . . . *speculo claras: clarorem merum.*

Post verba Theuropidis: „*nam quid ita?*" aliquid excidisse ex eo patet quod nihil est, unde pendeat ablativus *speculo;* quod recte Ritschelius vidit sarsitque lacunam hoc modo:

Th. *Nam quid ita?* [Tr. *Cor tibi exsultaturum arbitror:*
Magis hercle] *speculo claras, clarorem merum.*

Tranioni enim in animo erat seni persuadere filium ejus recte emisse aedes, hoc consilio eas laudare coepit. Ablativus *speculo* nunc pendet a comparativo *magis claras. Claror merus* significat: „tantam esse earum claritatem et puritatem, ut nulla macula insit."

Vs. 646.

Bene hercle factum. quid, eas quanti destinat?

Destinare in nomenclatura emtorum et venditorum significat *acquirere constituto pretio,* praesertim si arrabo detur. Cf. Rud. Prol. 45 sq.

Minis triginta sibi puellam destinat,
Datque arrhabonem, et iureiurando alligat.

Pers. IV: 3: 80 *Etiam tu illam destinas?* Cic. ad Fam. VII epist. 23: „*Quod tibi destinaras trapezophorôn, si te delectat habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet.*"

Vs. 647

Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus.

Talentis magnis; Talentum est pondus sexaginta minarum; mina centum drachmas habet; drachma est prope librae pondo et Romanorum denarium fere aequat. Hoc est talentum Atticum commune, quod fere scriptores Latini intelligunt, nisi aliud addatur. Cf. Remm. Fann.

de Pond. vs. 37, Cic. Tusc. V cap. 32, Id. pro Rabir. Post. cap. 8, Virg. Aen. V: 112, Plin. Hist. Nat. XXXV cap. 10, XXXIII cap. 3, Senec. Controv. V cap. 34, Aul. Gell. N. A. III cap. 17, Serv. ad Aen. V: 112 et IX: 265. De pondere Cf. Virg. Aen. XI: 333, Plin. Hist. Nat. IX cap. 14, XII cap. 17 s. f. Cf. porro Paul. Real-Encyclop. v. *talentum*. Fuit etiam alterum genus talenti Attici, quod *majus* vel *magnum* vocant, habens ad illud, quod modo diximus, proportionem sesquitertiam, continens octoginta minas. Interdum tamen scriptores *talentum magnum* vocant illud quod priore loco descripsimus, idque hoc loco significatur. Philolaches enim quadraginta minas arraboni dederat Simoni, ut mentitus erat Tranio, et vs. 1021 Theuropides dicit Simoni: *„Minas tibi octoginta argenti debeo"*, quae cum superioribus faciunt summam centum et viginti minarum, sive duorum talentorum, h. e. totidem quot erant Tranio et Theuropides. Igitur poëta loquitur de talentis sexaginta minarum.

Vs. 650.

Hinc sumpsit, quas ei dedimus. satin intellegis?

Ante hunc versum aliquid excidisse inde apparet, quod nihil est quo pronomen *ei* referatur. Lacunam Ritschelius sic sarsit e conjectura:

Ne ille illas redhibere animum forte induceret.

ille, i. e. venditor. Jam sententia haec est: „Filius tuus emit, has aedes duobus talentis et arraboni dedit venditori quadraginta minas." Nam emtio rata erat, si pars pretii venditori data et ab eo accepta esset.

Vs. 651.

. . . . *Heus, iam adpetit meridies.*

Cf. vs. 579.

Vs. 652.

Absolve hunc quaeso, vomitu ne hic nos enecet.

Hic versus vulgo legitur:

Absolve hunc, quaeso, vomitum, ne hic nos enecet.

quid autem significet „*solve vomitum*", equidem fateor me non intelligere. *Vomere* enim proprie dicitur de eo, qui levat stomachum cibo vel potu supervacuo; metaphorice de eo, qui probris et conviciis aliquem adspergit Hac significatione non dubito cum Ritschelio recipere acutam Bothii conjecturam: „*vomitu ne hic nos enecet*", i. e. „*ne convicia sua in nos evomat.*" Littera *m* finalis saepe omissa.

Vs. 662 sq.

. . . . TR. *Quid ego nunc agam,*

Nisi ut in vicinum hunc proxumum [*rem conferam*].

Rem conferam Ritschelius dedit pro librorum lectione *mendacium*, quod e proximi versus fine huc irrepsisse putat. Vulgatam Lambinus explicat intelligendo *conferam*. Dura ellipsis, quae ne aptum quidem praebet sensum, nam *convertere mendacium in aliquem* vel *dicere* cet. significat, aliquem mendaciis, falsis criminationibus petere, calumniari. Quare probabile est hoc vocabulum fraude illatum esse.

Vs. 665.

Calidum hercle audivi esse optumum mendacium.

Calidum mendacium i. e. recens, extempore natum, Graece *θερμόν*. Cf. Mil. II: 2: 73. *Cedo calidum consilium cito.*

Vs. 667.

Quicquid dehinc dicam, nunc id certumst dicere.

Vulgo legitur:

Quidquid dei dicunt, id decretumst dicere,

vel (Edit. Le Maire).

Quidquid dei dicunt, id rectumst dicere.

Quid sibi velit Ritschelius cum hac mutatione, facta contra fidem omnium codicum, equidem non intelligo, quoniam utraque lectio bene se habet, melius autem altera. Tranio in maximo metu versatur ne, si haesitet, Theuropides omnem rem resciscat, ideoque deorum admonitione et instinctu fisus, ea dicere se velle fatetur, quae sibi dubitanti extempore suggerantur, eaque recte dicta putat.

Vs. 670.

Tuus emit aedis filius. TH. *Bonan fide?*

Bonan' fide? Ludit poëta in ambiguo, aliter enim loquitur senex, aliter servus quaestionem intelligit. Theuropides hoc vult: „re vera?, serione?", servus autem simulat se accipere, quasi senex vellet: „utrum dolus malus in aedibus vendendis adhibitus esset an bona fides," itaque respondet: „*si argentum redditurus es, bona fide emtae erunt aedes.*"

Vs. 675.

Atque evoca aliquem huc intus ad te, Tranio.

Intus, i. e. ex aedibus. Cf. Amph. II: 2: 148.

Intus pateram proferto foras.

Asin. III: 2: 39.

Philenium estne haec, quae intus exit.

Cist. III: 8.

Dic, me orare, ut aliquis intus prodeat.

plura exempla hujus usus e Plauti fabulis collegit Handius in Tursell. III: pag. 445.

Vs. 683.

Abit Theuropides.

Vs. 688.

Dum mihi senatum consili in cor convoco.

Lepide et facete hoc dictum, quoniam omnia cogitantur in corde, quod comparatur cum loco, quo senatus convocari solebat, ubi de omnibus, quae ad rempublicam pertinerent, consilia agitabantur. Cf. Epid. I: 2: 56:

Iam senatum convocabo in corde consiliarium.

Vs. 689.

Igitur tum accedam hunc, quando, quid agam, invenero.
De particulis *igitur tum*, Cf. vs. 132.

SCENA 3.

Vs. 691.

Nec quod una esca me iuverit magis.

Illud *quod* nihil aliud esse credo, nisi abl. *quo*, adjecta littera *d* hiatus evitandi causa, ut etiam scribitur *quamd*, *ted*, *med*, cet.

Vs. 694.

Non mihi forte visum ilico fuit,

Haec verba significant: „non casu aliquo mihi videtur factum esse, quod uxor mihi prandium dedit melius solito, verum de industria, *voluit* enim *in cubiculum me abducere*."

Vs. 699.

Tota turget mihi uxor, scio, domi.

Tota turget, i. e. irata est. Cf. Cas. II: 5: 17.

Nunc in fermento tota est: ita turget mihi.

Merc. V: 3: 3.

Nam mea uxor propter illam tota in fermento iacet.

Vs. 703 sq.

Si quis dotatam uxorem atque anum homo habet,
Eum hominem sollicitat sopor: ibi omnibus.

Vulgo legitur:

Si quis dotatam habet, neminem sopor,
Sollicitat. Ire dormitum mihi odio est.

Priorem versum Ritschelius correxit e Codice As, qui praebet lectionem:

UXOREMATQUEANUMHABET.

quae lectio firmatur etiam eo, quod codices B. C. D. habent:

. . . . . *uxorem* . . . . *habet*

cum lacuna. Verbum *homo* insertum propter metrum.

In altero versu inepta est sententia. Recte Ritschelius *neminem* mutavit in „*eum hominem,*" et juvant antiqua exemplaria Pii, quae habent „*hominem.*" Hic versus et superior sic explicandi: „si quis dotatam uxorem habet, quam venerari oportet propter dotem, eum sopor sollicitat, i. e., quum bene vult dormire, id non potest propter sollicitudinem." Ceterum „*ibi omnibus*" ductum ex As. optime quadrant cum proximis „*ire dormitum odiost,*" quoniam senex loquitur in universum. Tum demum ad se venit: „*veluti nunc mihi,*" quae ducta sunt e codice As.

Vs. 708 sq.

Atque pol nescio ut moribus sient
Vostrae: at haec, sat scio, quam me habet male,

Ut moribus sient vostrae, i. e. „ut vestrae (spectatorum) uxores moratae sint;" „*haec*, i. e. uxor mea, *quam me male habet*, i. e. quam miserum me faciat," probe scio." Cf. Cas. I: 27 sq.

. . . . *quot te modis,*

Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis!

Men. IV: 1: 11.

Idem, quod semper: male habeas.

Vs. 713.

Te ipse iure optumo incusites licet.

Vulgo huic versui post „*optumo*" inseritur verbum *merito*, quo servato efficeretur tetram. acat., parum hoc loco aptus. Videtur esse interpretamentum verborum „*iure optumo*". Ceterum sententia haec est: „Ideo jure te ipse incusites licet, quod tibi malefacis; uxor tua non te domo ejecit, verum blanditiis te vult allicere in cubiculum." Tranio haec secum dicit.

Vs. 715.

Hoc habet: repperi qui senem ducerem.

Significat hoc dicto Tranio se reperisse fallaciam, qua Theuropidem senem decipiat. Dictio ducta est a ludo gladiatorio: de eo enim qui victus erat, populus clamabat: *habet* sive *hoc habet.* Cf. Terent. Andr. I: 1: 55 sq. *Certe captus est, habet.* Virgil. Aen. XII: 296:

Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.

Vid. Ruhnken. ad Terent. l.l.

Vs. 720 sq.

. . . . SI. *At hercle hau bonum*

Teneo servom [TR. *Eia vero: quid ita, te obsecro?*]

Post verba: „*teneo servum*" aliquid excidisse eam ob causam manifestum est, quod verba Simonis vs. 722. „*Quid nunc? quam mox?*" non bene cohaerent cum ejusdem verbis, quae mode descripsi. Ad verba heri: „*Hau bonum teneo servum*" consentaneum est, Tranionem rogare causam, cur ita se vocet. Probabiliter igitur Ritschelius

Tranioni tribuit hujuscemodi verba: „*Eia vero, quid ita, te obsecro?*"

Vs. 722.

Quid nunc, quam mox? . . . .

Haec verba sunt quasi responsum ad quaestionem Tranionis. Dicit Simo: cur te haud bonum servum vocem, rogas? Causa est in promptu: adspice modo vestram vitam, quid nunc agatis et quam mox (quam cito) repetituri sitis vestras voluptates.

Vs. 729.

Musice hercle agitis aetatem ita ut vos decet:

Musice, i. e. splendide, delicate et alieno sumptu. Huc pertinet Graecum proverbium: „*ἄκαπνα ἀοιδοὶ θύομεν*," i. e. „*nos cantores sacrificamus sine fumo;*" et illud: „*αὐλητοῦ βίον ζῆν*, i. e. „*tibicinis vitam vivere.*" Musici enim, quum alios oblectarent arte sua, opipare ab iis haberi solebant, et tibicines, quum in sacrificiis canerent, de pontificum mensa laute vivebant, atque adeo sine fumo, sine impensa coenam sibi parabant.

Vs. 738 sq.

. . . . Si. *Quaene subducta erat*
Tuto in terram? cet.

Subducta: naves *subducuntur* e mari in portum, *deducuntur* e portu in mare. Haec verba hanc habent vim: „eane navis periit, quae tuto portum attigerat?"

Vs. 741.

Th. *Heia, mastigia, ad me redi.* Tr. *Iam isti ero.*

Theuropides, quem jam diutius pertaesum erat longi colloquii Simonis cum Tranione, jam comprimere se vix potest prae iracundia; itaque in convicia erumpit.

Vs. 742.

Vellem ut tu velles, Tranio. sed quid est negoti? cet.

Vellem recte Bothius, pro quo libri *velim;* et sic jam legit Muretus, qui dictum eleganter explicat his verbis: „cui male et adversus animi sententiam erat, eum alloquentes dicebant: „*vellem, quae velles,*" quum indicarent dolere sibi, quod illi male esset; ac si dicerent: „vellem tibi ita esset, ut tu quoque velles, mihique aegre est, quod tibi quidquam praeter voluntatem tuam evenerit."

Vs. 743 sq.

Erus peregre venit. Si. *Tunc* [*tibi actutum*] *chorda tenditur;*
Inde ferriterium: postea [Tr. *Pol per tua te g*]*enua obsecro.*

Hi versus sic mutili leguntur in codice B:

Erus venit peregre venit. Si. *Tunc . . . . . Cor tenditur*
Inde ferriterium postea . . . . enua obsecro

In priore versu alterum *venit* abundare nemo erit quin videat. *Cor* Ritschelius, Camerarium et Gronovium secutus, mutavit in *chorda. Chorda tenditur,* metaphora est petita a sagittariis qui telum missuri tendunt arcum; significat igitur: „tibi infortunium imminet." Commode Ritschelius explevit versum addendo: „*tibi actutum.*" *Ferriterium* erat locus, ubi servi compedibus ferreis vincti asservabantur. Post hoc alii supplent: „*postea recta in crucem*"; quum autem Simoni in animo esset servo gravia omnia minitari, multo majorem terrorem ei injicit aposiopesi usus, qua Tranionem animi pendentem facit. Quam ob rem malo post verbum *postea* abrumpi sermonem. Tranio medullitus perterrefactus genua Simonis amplectitur eumque obsecrat, ne se indicet hero; quod colligere licet e vestigiis verbi *genua* in codice obviis.

Vs. 747.

Nunc hoc, quod ad te noster me misit senex,

Post hunc versum aliquid excidisse vix dubitandum; ma-

nifestum enim est, Tranionem sententiam non absolvere quem tale quid dicere voluisse conjicio:

[*volo hercle certior fias e me, Simo.*]

Vs. 751.

Tam liquidust, quam liquida esse tempestas solet.

Liquidus, est proprie *clarus*, *serenus*, hoc loco *placidus*; velut enim aqua *liquida* opponitur *turbidae*, sic etiam animus *liquidus*, i. e. nullis curis, nulla ira turbatus, tranquillus, opponitur animo *agitato*, *inquieto*. Cf. Turneb. ad h. l.

Vs. 752.

Nunc te hoc orare iussit opere maxumo.

Opere maxumo pro *maxumopere* sive *maxumo opere*. Cf. Cas. prol. 21, II: 7: 7 *opere tam magno* pro *tantopere*. Bacch. II: 2: 1, Cist. IV: 2: 48, Epid. V: 2: 55, Stic. II: 1: 93. Mil. I: 1: 75:

Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo.

Pseud. III: 2: 107:

Pater Calidori, opere petiit maxumo.

in quibus locis verba illa tmesi sejunguntur.

Vs. 756.

Et balineas et ambulacrum et porticum.

Ambulacrum memoratur etiam vs. 817:

Viden hoc ante aedis vestibulum et ambulacrum quoiusmodi?

unde colligitur *ambulacrum*, locum ambulationi aptum, fuisse in vestibulo i. e. in area ante januam.

Vs. 758.

Dare volt uxorem filio quantum potest.

Quantum potest, i. e. *quamprimum fieri potest*. Cf. Bacch. II: 3: 114, Poen. III: 1: 64. Cic. ad Att. IV epist. 13: *Rescribas ad me, quantum potest.*

Vs. 762.

. . . . *nisi tu nevis.*

Cf. vs. 110 *nevolt*, vs. 124 *neparcunt*, *nescio*, cet. *Ne* antiquos dicere solitos fuisse pro *non*, patet ex Amph. Prol. 127, Merc. II: 3: 103, V: 3: 4, V: 4: 32, Mil. II: 2: 9, 46 et sexcentis aliis locis.

Vs. 764 sq.

Quin aestu audivit ibi victum perbonum:
Sub diu colere te usque perpetuom diem.

Hos versus Gronovius, quem sequitur Le Maire, sic legit:

Quia heic audivit esse aestatem perbonam:
Subdiu coli absque sole perpetuam diem.

Weisius hoc modo:

Quia hic audivit esse aestatem perbonam;
Subdiu coli has solere perpetuum diem.

in codicibus B. C. D., parvo cum discrimine sic mutili leguntur:

Quia hic . . . . *ē̃ ē̃ ęstate perbonām*
Subdiu col . . . . *perpetuum diem.*

E quibus verbis lectiones Gronovii et Weisii facile elicere licet, suppleta lacuna; ea vero, quae Ritschelio placuit, effecta est lectione codicum A. et As:

QUIAESTAUDITUMESSEAESTATEIBIDEMVICTUMPERBONUM
TESUBSOLECOLUMEMUSUSQUEPERPETUUMDIEM

e quibus verbis ille reconcinnavit Plautinos versus, servato e codicibus supra memoratis verbo *sub diu*, cujus explicatio videtur esse alterum *sub sole.*

Vs. 766—768.

Immo edepol vero, quom usquequaque umbrast, tamen
Sol semper hic est usque a mani ad vesperum.

Quasi flagitator astat usque ad ostium.

Haec verba significant contrarium fieri ejus, quod servus dixerat. Simo dixit: „Quum alibi ubivis umbra est, sol a matutino tempore ad vesperam in aedibus est, ut creditor importunus."

Vs. 778.

Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex.

Clitellae sunt ephippia, quae imponuntur jumentis, ad onera commodius gestanda. Cf. Horat. Sat. I: 5: 47

Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.

Phaedr. Fab I: 15. Comparat igitur senes cum mulis dicitque: „quemadmodum hero meo clitellas impono eumque has vehere facio, ut super illis omne onus, hoc est, dolos et fallacias meas imponam, ita et hic alter senex vehit clitellas," cet. h. e. aliis verbis „utrumque probe ludificatus sum." Cf. Pylades ad h. l.

Vs. 783 sq.

Nunc hunc hauscio an conloquar. congredibor.
Heus Theuropides. Th. *Hem, quis hic nominat me?*

Hi versus sic leguntur in codice B.:

Nunc hunc hauscio an con conloquar congrediar
Heus theupropides. Th. *Hemquis . . . . . . nominat me?*

unde facile colligi liceret his versibus aliquid deesse, quod tamen refutatur lectione codicis A.:

NUNCHUNCHAUSCIOANCONLOQUARCONGREDIAR
HEUSTHEOROPIDES HEMQUISHICNOMINATME.

Metri causa tamen melius erit legere „*congredibor*," quo efficitur bacch. tetram. acat., quales etiam sunt versus sequentes usque ad vs. 803.

Congredibor; saepe Plautus verbis tertiae et quartae conjugationis in *io* et *ior* futura tribuit in *ibo* et *ibor*. Cf.

v. c. Capt. III: 4: 86 et Poen. I: 2: 100 *audibis*, Pers. IV: 4: 77 *servibit*, Men. V: 9: 42 et Merc. III: 2: 3 *servibo*, Merc. V: 4: 57 *scibimus*, Asin. I: 1: 13, Men. II: 3: 40, Pseud. I: 2: 42 et Truc. II: 6: 69 *scibo*, Mil. I: 1: 35 *mentibitur*.

Vs. 786.

Quod me misseras, adfero omne impetratum.

Pro *quod* in plurimis editionibus *quo*, impediente sensu. Quid enim sibi velit hocce: „adfero omne impetratum, quo (i. e. in quem locum) me miseras." Recte *quod* habet codex Ba. Plene ita dictum foret: „impetratum affero omne id, quod impetratum sive impetraturum me miseras."

Vs. 791.

Simul flare sorbereque haut factu facilest.

i. e. duas res, quae contrario actu fiunt, una eademque opera facere non potes.

Vs. 799.

Sibi quisque ruri metit. cet.

Proverbium rusticum pro „sibi quisque consulit." Simile est nostrum: „*ieder vischt op zijn getij.*"

Vs. 802 sq.

Misericordia s[tulta haut esse] hominem oportet.
Tr. *Morare hercle.* [Th. *Immo tu*] *facis.* Tr. *Subsequere.* Th. *Fiat.*

Hi versus in codicibus C. et B. cum lacuna leguntur sic:

Misericordias . . . . hominem oportet
Morare hercle . . . . . . facis subsequere fiat.

Priorem versum editio Weisii secundum Gronovium ita suppletum habet:

Misericordias iam hominem habere haut oportet.

quod equidem a Theuropidis moribus alienum existimo, neque ferri potest, quod inter verba *hominem* et *oportet* in codice nulla lacuna invenitur. Le Maire habet:

Misericordiam tamen habere hominem oportet.

eaque tribuit Tranioni, sequentia autem verba „*Morare hercle*" Theuropidi, quod perperam factum esse certe nemo erit, quin videat; non enim Tranionis erat inspicere aedes, verum Theuropidis: idcirco Theuropides Tranioni dicere haud potuit: „*morare hercle*," at hic illi. Quum praeterea manifestum sit, Theuropidem verba: „*morare hercle*" non una cum praecedentibus pronuntiare potuisse, hinc luce clarius est versum 802 Theuropidi tribuendum esse. Inde porro sequitur, supplementa editionum Weisii, Gronovii et aliorum, qui legunt: „*Morare hercle, cum verba facis*" cet. nullius pretii esse, quippe non cohaerentia cum ceteris verbis Theuropidis; quare Ritschelii supplementum probandum censeo. Ceterum in altero versu melius erit supplere: „*immo tu facis*" eaque Theuropidi tribuere (Cf. vs. 789), quibus verbis commotus Tranio dicit: „*subsequere*," et rursus Theuropides: „*fiat.*" Partibus hoc modo dispositis omnia bene sese habebunt.

Vs. 804.

Do tibi ego operam. senex ille eccumst. en, adduxi hominem tibi.

Verba „*do tibi ego operam*" Tranio dicit ad Theuropidem; reliqua hujus versus ad Simonem. *Operam dare alicui*, est *audire aliquem*. Cf. Capt. prol. 6, 54, Cas. prol. 22, Mil. III: 1: 177, IV: 1: 7, Trin. IV: 2: 52, Terent. Heaut. II: 2: 17, Eun. II: 2: 50. Cic. de Clar. Oratt. cap. 89, Id. ad Att. XIII epist. 49, ad Fam. VII epist. 24. Ceterum verba „*senex illic est*," quae habent

editiones Gronovii, Weisii, Le Mairii omnesque codices, temere a Ritschelio tentata esse opinor.

Vs. 821.

Eo pretio empti fuerant olim. cet.

Hiatus in hoc versu post verbum *olim* ferri potest propter mutationem personarum

Vs. 825.

. . . . *Quia edepol ambo ab infumo tarmes secat.*

Tarmes secat, Cf. Vitruv. II: 9: 6: „*abies procreat et alit tarmitem ab eoque vitiatur.*" Est genus vermiculi.

Vs. 828.

Non enim haec pultifagus opufex opera fecit barbarus.

Pultifagus, verbum hybridum, compositum e latino verbo *puls* et graeco *φαγεῖν*, significat: „*qui vesci solet pulte.*" Notum est, ut apud Graecos *μάζαν*, ita apud Romanos *pultem* fuisse antiquitus communem cibum; postea vero, invalescente pane, factum id esse alimentum viliorum et pauperiorum: itaque *pultifagus* est idem atque *vilis*, *vulgaris*; addit *barbarus*, quia plerique fabri et opifices erant servi, captivi ex Africa aut aliunde advecti. Quare hoc dicit Tranio: „postes affabre factos esse, ut facile appareat non esse opus fabri rudis, vili pretio conducti." Sine causa Scaliger *pultifagum* voluit significare Poenum; etsi enim Poeni etiam pulte uti soliti, et ab his *puls punica*, quod est certum pultis genus, nominata est, non hi aut soli aut magis quam alii hoc cibo usi sunt.

Vs. 829.

Viden coagmenta in foribus? TH. *Video.* TR. *specta quam arte dormiunt.*

Quam arte dormiunt, haec verba eleganter Politianus apud Gronovium explicat sic: „Quia connivere dicuntur,

qui dormitant: ut apud Cinnam lectus est versiculus:

Jam gravis ingenti connivere pupula somno.

ideo, quum in foribus juncturas esse minime laxas servus ostenderet, *dormire* eas ridicule prius, dein etiam *connivere* jculariter dicit, ex oculis dormitantium ducta metaphora." Ceterum h. l. videtur esse quaestio indirecta, in qua pro Conjunctivo saepe poni Indicativum notum est. Cf. Horat. Sat. I: 2: 23:

Si quis nunc quaerat, quo res haec pertinet: illuc.

Multa exempla colligit Burmannus ad Lucan. Phars I: 126. Cf. porro. Plaut. Amph. prol. 17, 50, Mil. IV: 6: 47, et alibi passim. Etiam *connivent* jocose dictum est pro: „non ad perpendiculum constructa sunt."

Vs. 832.

Viden pictum, ut ludificat una cornix volturios duos?

Non aderat pictura in aedibus Simonis, verum servus se ipsum *cornicem* dicit, ambos autem senes *volturios*, vel propter canitiem, vel propter avaritiam. Cf. vs. 833 sq. Ut *cornix* ludificat *volturios*, sic ille seni utrique ludos facit.

Vs. 836.

. . . Th. *Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.*

Intuor tertiae conjugationis pro *intueor*, quemadmodum *fervĕre* et *fervēre*, *stridĕre* et *stridēre*, *olĕre* et *olēre*, *ciĕre* et *ciēre*, *connivĕre* et *connivēre*.

Vs. 839.

Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hic avem.

Ut te absolvam, i. e. „ne diutius te morer."

Vs. 843.

Eho, istum, puere, circumduce hasce aedis et conclavia.

Vulgo verbum *circumducere* construitur cum accus. per-

sonae et praepositione *per*. Cum duplici accus. constructum etiam offendes Caes. B. G. III cap. 61: „*Quos omnia sua praesidia circumduxit.*"

Vs. 845—848.

TH. *Apage istum circumductorem: nil moror ductarier.*
SI. *Aedis dico, vin qui te perductet?* TH. *Apage: non placet.*
Quicquid est, errabo potius quam perductet quispiam.
[SI. *Tuo arbitratu*] TH. *Ergo eo igitur sine perductore.*
SI. *I, licet.*

Hi versus mutili leguntur in codice B:

H. *Apage istum me . . . . nihil moror ductarier.*
Quidquid est . . . . perductet quispiam.
S. *Adis dico . . . .* H. *Ergo intro eo sine perductore.* S. *i, licet.*

In codicibus C. D:

Apage istum me . . . . nihil moror ductarier.
Quicquid est . . . . perductet quispiam adis dico
Ergo intro eo igitur sine perductore ilicet

pro quibus in ceteris codicibus tres versus exstant, duo autem post vs. 816 hoc modo apud Gronovium leguntur:

SI. *Vin qui perductet?* TH. *Apage istum perductorem, non placet.*
SI. *Quid, quid est? Errabo potius, quam perductet quispiam.*

Quo loco si ponantur, nemo est quin videat perperam esse collocatos; non enim est consentaneum, Simonem eos rogare num velint aliquem qui perductet, dum ipse cum iis incedit; contra postquam ille professus erat, se non vacare, necesse erat hos rogare num vellent circumduci. Hinc patet in omnibus codicibus, praeter B. C. D. hos duos versus esse interpolatos, iteratosque e vss. 845—848,

quos laceros recte Ritschelius mihi videtur supplevisse, accepta quoque perturbatione vss. 846 sq. Postquam enim Theuropides Simoni respondit „*se nihil morari circumduci*", optime Simo reponit: „*aedis dico*", i. e. de aedibus meis loquor, quippe quae alieno sint ignotae, iteratque quaestionem de circumductore. Ad quae apte iterum respondet Theuropides, sibi hoc non placere; se potius velle *errare* quam *circumduci*, quoniam nimirum ipsum miserebat senis moerentis propter aedes venditas. Ad haec Simo recte dicit: „*tuo arbitratu:*" quae verba necesse est inserantur ante verba Theuropidis „*ergo eo*" cet., quippe quae aliter non bene cohaererent cum vs. 847. Ceterum verba *istum perductorem* glossema videntur, quo explicaretur quid sibi vellet istud *apage*.

Vs. 848 *ergo igitur*. Saepius haec jungit Plautus, quemadmodum *itaque ergo* Terentius. Cf. Hand. Tursell. II, pag. 465.

Vs. 849.

. . . . *Mane sis videam, ne canis*. . . . . .

Propterea, ut caverent introeuntes, januae saepe inscribi solitum erat: „*cave canem*", ut notat Popma ad h. l.

ACTUS IV.

SCENA I.

Vs. 859.

. . . . , *hi solent esse utibiles eris.*

Utibiles i. e. utiles. Cf. Mil. III: 1: 18, Trin. III: 3: 20, Men. V: 6: 20, Merc. V: 4: 45. Ceterum hi versus iisdem paene verbis leguntur Men. V: 6: 19—22. Similis locus est Aul. IV: 1.

Vs. 861.

. . . . *tum stulta expetunt sibi consilia:*

i. e. capiunt consilia stulta. Cf. Cas. II: 7: 7, ubi *expetivisse* nude, omisso *consilium*, invenitur pro *decrevisse*, *statuisse.*

Vs. 863 sq.

Hi si sunt reprensi, faciunt de malo
[*Sibi*] *peculium, quod nequeunt* [*de bono.*]

Faciunt de malo . . peculium, ludit in ambiguo Plautus: *peculium facere de malo,* ut animadvertit Acidalius, potest significare: peculium sibi comparant furtis, fraudibusque, vel peculium faciunt offerumentis et vibicibus verberum. Cf. Asin. II: 2, 9, quo loco servus Leonidas jocose dicitur largiri peculium partum plagis ultro dono sibi oblatis. Alteram hanc significationem hoc loco priori anteponendam esse, mihi dubium non videtur. *De bono,* haec verba necessario addenda propter oppositionem: *peculium de bono* est illud quod servi sibi comparant de

demenso, quod singulis mensibus a dominis accipere solebant; cujus si, ventre fraudato, aliquid iis superesset, paullatim argenti summam colligebant, qua libertatem emere possent.

Vs. 865.

Augent ex pauxillo: [thensaurum in]de pariunt.

Augent ex pauxillo, i. e. sicut e paucis nummulis paullatim coacervatur thesaurus. Sensus est: „servos fugitivos, quum capti sunt, primo parva poena affici, si iterum, majore, et sic pedetentim, crescente modo, donec tandem capitali poena affligantur."

Vs. 866 sq.

Mihi in pectore [id] consili[st, praecavere]
Malam rem prius quam ut meum [tergum doleat.]

Pro his Weisius et Le Maire habent:

Mihi in pectore consilii [quod est,
Lubet cavere] malam rem prius,
Quam ut meum [tergum exsinceratum fiat.]

claudicante metro et pro parte etiam sensu: nam sive ita construas: „*quod consilii mihi in pectore est*, cet., sive sic: „*mihi, quod consilii in pectore est, lubet*" cet. aeque dura ac languida est dictio. Quare Ritschelii supplementum probandum censeo.

Vs. 868 sq.

. . . . *[ita mihi] corium esse oportet:*
Sincerum atque ut [id mihi] votem verberari.

Sincerum dicitur integrum, quod est nullo morbo neque macula vitiatum. Ovid. Met. XII: 99 sq.

. . . . *Sine vulnere corpus,*
Sincerumque fuit . . . .

Id. Met. I: 190 sq.

. . . . Sed immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Plaut. Rud. III: 4: 52, Gell. N. A. V cap. 1, Plin. .H N. XVII cap. 22: Igitur *corium sincerum* dicitur servus habere, qui numquam verberibus caesus est. Pro *votem* aliae editiones habent *vetem*, absque ullo sensu. Verba „*mihi esse oportet corium sincerum atque ut votem id verberari*" significant: „tergum habeam, sicut habeo, nullis vibicibus foedatum et quod nesciat quid sit verberari, ita ut quasi in votis sit verberibus caedi." Per jocum hoc dici per se patet.

Vs. 870.

Si [*ego*] *huic iam parebo, probe tectum habebo:*

Pro *iam parebo* aliae editiones habent *imperabo*, quod Le Maire, duce Gronovio, explicat sic: „ut porro evitem verbera, sic huic ori imperabo (quod cum gestu pronuntiandum, ut digito labrum comprimat), probe tectum habebo sc. os. Notum enim in praecipuis servi virtutibus esse silentium. Loquitur enim de tecto, ut docent etiam quae sequuntur." Meras has esse ineptias nemo non videt; manifestum est interpretem non habuisse quo referret pronomen *huic*. Atqui accepta lectione Ritschelii, facillime ex iis quae praecesserunt effici potest, *huic* referendum eses ad *id consilii* (vs. 866), et verba sic accipienda: „si huic consilio parebo, i. e. si officio meo semper rite fungar et malum praecaveam, tergum probe tectum habebo."

Vs. 872 sq.

Nam ut servi volunt esse, ita solent [*eri esse:*]
Boni sunt [*bonis*], *inprobi sunt maleficis.*

Hi versus apud Camerarium et Gronovium, quos sequitur Le Maire, leguntur sic:

Nam ut servi volunt esse herum, ita solet esse.
Bonis boni sunt; improbi, qui malus fuit.

eo tantum discrimine quod in priore versu Gronovius omittit verbum *esse.*

Quod ad sensum attinet, prior horum versuum admitti posset, nisi metrum claudicaret: lectio enim Ritschelii idem significat atque illa, nimirum quod Belgice dicimus: „*Zoo meester, zoo knecht.*" Quod ad alterum versum, in eo cum metrum non bene se habet; tum verba: „*improbi, qui malus fuit,*" haud aliter explicari possunt nisi sic: „heri sunt improbi ei servo, qui malus fuit." Quominus autem ita legamus, primum impedit, me judice, dura omissio pronominis *ei;* posset quidem *qui* mutari in *cui*, ut esset attractio, verum hujusmodi constructionem apud Plautum non memini me usquam invenire. Deinde quoniam poëta in universum loquitur, atque eo consilio incipit a numero plurali, elegantius sermo mihi videtur procedere, si eodem numero uti pergat. Restat ut consideremus lectionem Weisii hancce:

Nam, ut servi volunt esse herum, ita solet.
Bonus cum probi'st,
Malus cum malis.

puncto majore in primo versu post verbum *solet* posito, facile omnes mecum fatebuntur, commodius esse punctum minus, sive semicolon. Ex iis autem quae modo diximus de vs. 872, necessario sequitur, hos duos ultimos versus emendandos esse. Poëta quum incepit loqui de heris, plurali numero, patet melius esse eundem numerum continuari; propter metrum autem praestat hos duos versus in unum conflari: quibus perpensis lectio Bothii,

quem Ritschelius secutus est, probanda mihi videtur.

Vs. 877 sq.

Non eo: molestus ne sis: scio quo properas: gestis aliquo: Iam hercle [nunc] ire vis, mule, pastum foras.

Sunt haec verba, ut animadvertit Lambinus, servorum desidentium et irridentium servum frugi, qui hero adversum ire parat. „Ire vis aliquo in popinam, ut te farcias, sicut muli solent, fractis retinaculis, pastum ire."

Vs. 884.

Illi erunt bucaedae multo potius quam ego sim restio.

Bucaedae, ut animadvertit Schmiederus ad h. l., proprie sunt ii, qui boves stimulis caedunt; *restiones* sunt qui restes faciunt aut vendunt. Cf. Sueton. Aug. Cap 2. s. f. *M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat restionem, avum argentarium.* Quum autem h. l. sermo sit de poenis, quibus servi affici solebant, videtur utrumque verbum hic peculiari sensu accipiendum, ut *bucaedae* dicantur, qui loris bubulis, *restiones* qui restibus caeduntur. Ita sensus erit, secundum Gronovium: illi potius loris bubulis caedentur, quam ego restibus caedar, i. e. illi multo potius magna poena afficientur, quam ego parva. Pro *bucaedae* alii *bucidae*, simili varietate qua supra vs. 158 *deficatam* vel *defaecatem*.

SCENA 2.

Vs. 885.

Mane tu atque adsiste [hic] ilico, Phanisce: respice etiam. Jam unus ex iis, de quibus secum Phaniscus locutus est, mutata sententia, venit officio functurus. Cf. vs. 876 sq. *Etiam* h. l. habet vim intensivam, ut nostrum *toch.*

Vs. 887—890.

Manesne [tu] impure ilico parasite? PHAN. *Qui parasitus*
Ego sum? ADV. *[Tibi] enim dicam: cibo perduci poteris quovis.*
PHAN. *Mihi sum: lubet [mihi] esse. quid [tu] id curas? [alia cura.]*
ADV. *Ferocem [te] facis, quia te erus tuus [tam] amat.*

Hi versus in edd. Weisii et Le Mairii inverso ordine leguntur, nimirum vs. 886, 889, 887, 888, quem ordinem facile agnoscas minus rectum esse, quia vs. 889 melius respondet versui 888 quam versui 886.

Vs. 891 sq.

Oculi dolent. ADV. *Quor?* PHAN. *Quia [mihi] fumus molestust.* ADV. *Tace sis,*
Faber [nugarum] plumbeos qui cudere soles nummos.

Oculi dolent cet. frequens molestia in veterum aedibus, maxime quum sacrificia vel epulae pararentur. Phaniscus nunc id praetexit ut se amoveat. Similiter servus in Aristoph. Plut. vs. 821 sq. dicit

ἐμὲ δ' ἐξέπεμψεν ὁ καπνός. Οὐχ οἷός τε γὰρ
ἔνδον μένειν ἦν· ἔδακνε γὰρ τὰ βλέφαρά μου.

Vs. 892 propter metrum et sensum Ritschelius recte inseruit verbum *nugarum.* Quoniam Advorsitorem taedebat probri, quo modo affectus erat (vs. 891), idcirco illum *fabrum nugarum* vocat, significaturus, se ejus verba nihili pendere; quod etiam firmatur verbis sequentibus „*plumbeos qui cudere soles nummos,*" quae denotant „eum, qui simulatis officiis, speciosis dictis ac factis hero persuadet, se esse frugi, quum sit nequam." Casaub.

Vs. 899 sq.

Heus, ecquis hic est, maxumam qui his iniuriam
Foribus defendat? cet.

I. e. „ecquis est qui defendat, arceat, ab his foribus maximam injuriam," ut Virg. Ecl. VII: 47.

Solstitium pecori defendite, cet.

Significant verba: „quis est, qui aperiendo me prohibeat quominus magna injuria fores afficiam, nempe eas perfringendo."

SCENA 3.

Vs. 906.

Vidisse usquam abiectas aedis, nisi modo hasce.

Abiectas, i. e. vili venditas pretio. Cf. Phaedrus. IV: 5: 42

Agros abjiciet moecha ut mundum paret.

Terent. Adelph. IV: 7: 25 sq.

. . . . *quae quantum potest*
Aliquo abiicienda est, si non pretio, gratiis.

Vs. 908.

Tr. *Quoiusmodi gynaeceum? quid porticum?* Th. *Insanum bonam.*

Insanum, adverbialiter positum, interdum usurpatur pro *immodice*, *ingentem in modum*, qualia sunt quae insani faciunt. Cf. Cic. pro Mil. cap. 31, Auson. de Sapp. in Sol. vs. 20: *Dives insanum in modum.*

Vs. 912.

Th. *Di immortales, mercimoni lepidi.* cet.

Mercimoni lepidi, Genitivus in exclamatione positus Graeco more. Cf. Arist. Nub. vs. 153: *ὦ Ζεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.* Plat. Rep. VI: 509 C: *Ἄπολλον, δαιμονίας ὑπερβολῆς*, Lucan. Phars. II: 45: — *o miserae sortis.*

Vs. 918.

. . . . Th. *Servavisti omnem ratem.*

Omnem ratem, figurate pro *omnem rem familiarem;* tropus petitus a nautis, qui tempestate deprehensi, ejicienda aliqua parte oneris, reliquas merces cum navi servant.

Vs. 920.

. . . . . Tr. *Ita enimvero: ne qua causa subsiet.*

I. e. ne quid in conficienda ratione difficultatis moveat si tecum rem agat, quia non emisti. Metuebat enim Tranio, ne, si Theuropides ipsi Simoni argentum solveret, res omnis palam fieret. *Causa* saepe pro *litigandi causa*, ut. v. c. Asin. IV: 1: 44.

Nolo illam habere causam cet.

Vs. 922.

Th. *At enim ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.*

I. e. „ne quid fraudi mihi sit, ne decipiar." *Captio* proprie dicitur *fallax argumentatio, sophisma.* Cf. Cic. Acad. IV cap. 14 s. f. Ad Div. II epist. 17, de Fato

cap. 13, Brut. cap. 63, de Finn. II cap. 6. Senec. Epist 45 med. Aul. Gell. N. A. I cap 2. Item sumitur pro *fraude, deceptione*, qua quis *capitur*. Cf. Plaut Epid. II: 2: 114. Cic. pro Quint. cap. 16. Gajus Dig. XXIX: 3: 7. Ulpian. IV: 1: 1.

Vs. 924.

Egon' abs te ausim non cavere, cet.

I. e. „Egone ea sim fiducia ut abs te non caveam." Ceterum animadvertendum, comicos poëtas solere senes fingere deliros et credulos, ita tamen, ut simulacrum aliquod sapientiae prae se ferant.

Vs. 926 sq.

TH. *Ego enim cavi recte* [TR. *cave modo alios: mihi, qui tibi fidem*
Usque servavi, hercle] *eam debes gratiam atque animo meo.*

Hos versus, conjunctim scriptos, Theuropidi tributos offerunt Weisius et Le Maire, sic legentes:

TH. *Ego enim cavi recte: eam mihi debeo gratiam, atque animo meo.*

quod quominus probetur prohibet metrum et lectio cod. B.

Ego enim cavi recte . . . . Eam $\overset{e}{\text{debis}}$ gratiam atque animo meo.

Hinc apparet et lacunam esse nec legi posse *mihi debeo* quod e codice B elici non queat. Quae quum ita sint, luce clarius est verba: „*eam debes gratiam*" cet. non esse Theuropidis, ideoque Tranioni tribuenda esse et quaedam excidisse, quae satis ingeniose supplevit Ritschelius.

Vs. 940—945. In Codice A sequuntur sex versus, quorum tamen nil fere superest nisi litterae quaedam et apices, quibus versibus senem ludibrio haberi, mihi quidem cum Ritschelio persuasum est.

Vs. 950—952.

PHAN. *Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus?*

TH. *Habitavit: verum emigravit pridem ille ex hisce aedibus.*

ADV. *Sĕnex hic elleborosust certe.* PHAN. *Erras perverse, pater:*

Vulgo vs. 952 excipit versum 950; apparet tamen, et mecum nemo erit quin fateatur, ita hos versus non bene cohaerere. Postquam enim Phaniscus cum admiratione vs. 950 rogavit, num Philolaches hic habitet, Advorsitor respondere non potest: „*senex hic cerebrosust* (*elleborosust R*) *certe*," nisi Theuropides ipse prius quid respondisset ad quaestionem Phanisci. Quod respiciens Ritschelius, e vestigiis codicis A, legentis:

. ABI. M. U. BUM . . . C . . . . L . . . HISCEAEDIBUS

vs. 951 concinnavit. *Elleborosus* est is, qui plus ellebori sumsit quam par est, itaque dicitur pro *insano.* Cf. Rud. IV: 3: 77 sq. Elleborus enim credebatur optimum remedium esse iis, qui mente capti erant. *Cerebrosus* contra, quod verbum legimus in plurimis editionibus, dicitur is, qui cerebro ita laborat, ut facile irascatur, facile sententiam mutet, inconstans est. Cf. Hor. Sat. I: 5: 21. Quod huic loco aptum non esse, nemo certe negaverit: quare cum Ritschelio lego *Elleborosus*, quam lectionem etiam tuetur codex A.

Vs. 957.

Quartus, quintus, sextus usque, postquam peregre hinc ĕius pater

Abiit, numquam hic triduom unum desitumst potarier.

In priore versu *eius* non necesse est per synizesin lege-

re, si retineamus vulgatam lectionem *hinc peregre eius*, qua metrum optime constat. In altero pro *potarier* vulgo legitur *esse et bibi*, quod iteratum videtur e vs. 959, quae ejusdem rei, verbis iisdem repetitio nemini non languere videatur. Praeterea vero obstat grammatica ratio, quae vetat passivum verbi *desinere* construi cum infin. activi, sed semper, aeque ac *coeptum est*, post se habet infin. passivi; praestat igitur legere cum codice A. *potarier*.

Vs. 966.

Vide sis ne forte ad merendam quopiam devorteris.

Merendam. Romani plerique ter quotidie solebant cibum capere: primum erat *jentaculum;* sequebatur *prandium;* diem claudebat *coena*. *Merenda* idem fuit ac *prandium*, quod capiebatur circa meridiem, eo tamen, ut videtur, discrimine, quod *merenda* simplicior, *prandium* lautius esset: quod etiam e nomine colligitur, quum *merenda* dicta sit ab *aere merentibus*. Prandium describit Plautus Men. I: 3: 25 sqq.

Iube igitur nobis apud te prandium accurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier.
Glandionicam suillam, laridum, pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut quid ad eum modum,
Madida quae mi adposita in mensam milvinam suggerant:

Curc. II: 3: 44.

Pernam, abdomen, sumen sueris, glandium.

Nimirum cibis calidis aeque ac frigidis, saepe reliquiis coenae hesternae constabat. Cf. Curc. II: 3: 42. Pers. I: 3: 25 sq. Bekker, Gall. III, pag. 171—204.

Vs. 973.

Th. *Quanti?* Adv. *Triginta talentis.* Phan. *μὰ τὸν Ἀπόλλω, set minis.*

I. e. „non, per Apollinem, triginta talentis, sed totidem minis."

Vs. 974.

Ăin minis triginta amicam destinasse Philolachem?

Codices habent *destinatam Philolachem* vel *destinatum Philolachem*, unde apparet legendum esse vel *destinatam Philolachi*, ut Gulielmus legit, auctore Gronovio, vel *destinasse Philolachem*, ut Ritschelius. Optio dubia. De verbi *destinare* significatione Cf. annot. ad vs. 646.

Vs. 982.

Triginta minae, prae quam alios dapsilis sumptus facit.

Dapsiles sumptus, i. e. largos, copiosos, abundantes, Cf. Aul. II: 1: 47 *dotes dapsiles.* Pseud. V: 1: 23 sq. *corollas dapsiles.* Colum. IV: 27 s. f. Id. III: 2. *Prae quam, prae ut, prae quod,* e vulgari sermone desumta sunt a comicis. In his *prae* significat comparationem, ut sensus sit: „*comparatione facta aliorum quos facit sumptuum.*" Cf. Terent. Eun. II: 3: 9 sq.

Ludum iocumque dicas fuisse illum alterum,
Prae ut huius rabies quae dabit.

Plaut. Amph. II: 2: 2. Men. II: 3: 29 sq.

Vs. 984.

Tranio: is vel Herculi conterere quaestum possiet.

Herculi conterere quaestum, i. e. *Herculis,* dicitur de prodigo. Salmasius ita explicat: Herculi vovebantur *decimae*, quae facete *quaestus* ejus a comico dicuntur; ut sensus sit: „is tantum consumere possit, quantum Herculis decimas aequiparet." De his decimis Cf. Plutarch.

Quaest. Rom. cap. 18. Alii *Herculis quaestum* dictum volunt, quia erat Deus πλουτοδότης, insperati lucri et divitiarum hominibus dator. Cf. Horat. Sat. II: 6: 10 sqq., ut *Herculis quaestus* appellentur maximae divitiae. Prior explicatio potior videtur.

Vs. 988.

ADV. *Heus vos, ecquis aperit?* PHAN. *Quid istas pultas, ubi nemo intus est?*

Verba: „*Heus .... aperit*" melius tribuuntur Advorsitori quam Phanisco, quoniam illius, non hujus erat hero obviam ire. (Cf. vs. 900): unde sequitur verba: „*Quid .... est?*" non Advorsitori tribuenda esse, ut in editione Weisii factum est, verum Phanisco, qua ratione hujus verba, vs. 989, optime cum superioribus cohaerent; oratio enim valde langueret, si primo Advorsitor verba: „*Quid ... est?* enuntiaret, tum Phaniscus responderet: „*Alio credo*" cet. Omnia melius procedent, si vss. 988 sq. inde a verbo *Quid* Phanisco soli tribuuntur.

Vs. 990.

TH. *Puere,* [*se*]*q*[*uere, te obsecro,*] *hac me.* PHAN. ... TH. ...
Hoc versu in plurimis editionibus aliquid excidisse, testis est codex A, in quo legitur:

PUERE . . Q . . . . HACME — — —
ex quo colligitur, post verba *hac me* Phaniscum aliquid respondisse; quod nisi accipiamus, verba Theuropidis vs. 991 non cohaerere cum vs. 990 nemo non agnoscat. Ritschelius lacunam probabiliter sic supplevit:

. . . . PHAN. *Tergo timeo.* TH. *Ne time.*

Vs. 991.

. . . . . . PHAN. *Libertas paenulast tergo tuo:*

Paenula, vestis spissa et villosa, quae supra tunicam

injiciebatur frigori et pluviae arcendae, hic tropice pro tegumento, sive tutamine dicitur. Sententia haec est: Alter servus modo jussus est abire; hac de re ridens ei gratulatur Phaniscus, dicens: „libertas, nempe abeundi, quam nactus es, tuetur tergum tuum a plagis, quas meritus eras; mihi non est quod tergo meo metuam." Haec verba melius tribuenda esse Phanisco quam Theuropidi, docent verba vs. 992, quibus quasi comparationem instituit Phaniscus inter se et Advorsitorem.

SCENA 4.

Vs. 1000.

SI. *Etiam* TH. *Quid tandem?* SI. *Vidi efferri mortuom. Etiam* in respondendo habet vim affirmandi et significat *ita, sane.* Cf. Amph. I: 3: 46, Merc. IV: 5: 27. Cic. Acad. IV cap. 32 med. *Ut probabilitatem sequens, ubicumque haec occurrat aut deficiat, aut* ETIAM *aut* NON *respondere potest.* Id pro Rosc. Com. cap. 3. *Utrum cetera nomina habes, an non? Si* NON, *quomodo tabulas conficis? Si* ETIAM; *quamobrem*, cet. Plin. IV epist. 13.

Vs. 1002.

Novom. SI. *Modo vixisse äibant.* TH. *Vae capiti tuo.* Post vocabulum *novom* vulgo adduntur haec:

SI. *unum vidi mortuom efferri foras,*

quae iterata esse e vs. 1000 nemo erit qui non agnoscat; vocabulum *foras* est additamentum verbi *efferri.*

Vs. 1004.

. . . . Si. *Promisi foras.*

suppl. „ad coenam me venturum." Cf. Stic. IV: 2: 16 *Ad coenam hercle alio promisi foras*, III: 2: 27 *lubens accipiam certo, si promiseris*, sc. *te daturum.* Merc. V: 2: 108, Pers. I: 1: 49.

Vs. 1006 sq.

. . . . . Si. *Verum cras, nisi quis prius*
Vocaverit me, vel apud te cenavero.

Vel apud te cenavero, dictum παρὰ προσδοκίαν: quippe exspectares Simonem dicturum: „*apud me te excipiam.*" Facete eo significatur parsimonia senis, qui alieno quam suo sumptu amicis gratum facere mavult.

Vs. 1017—1021.

. . . . . Si. *Mecum ut ille hic gesserit,*
Dum tu hinc abes, negoti [*quidquam?* Th. . . .
. . . . Si.] *Quidnam? aut quo die?*
Th. . . . .
Minas tibi octoginta argenti debeo.

His versibus quaedam excidisse recte vidit Ritschelius. Primum, unde pendeat genitivus *negoti*, non liquet, deinde verba Simonis: „*Quidnam? aut quo die?*" non legi posse conjunctim cum ejusdem verbis vs. 1018, hinc apparet, quod, si suppleamus illo versu vocabulum *quidquam*, a quo genitivus *negoti* pendeat, certe continuato ordine legi non possunt, quum metrum id vetet, sed necesse est scribi versu separato; quod si accipiamus, patet plus tribus integris pedibus hujus versus intercidisse. Quae omnia quum ita sint, mihi quidem haud dubium videtur, quin verba quaedam Theuropidis interierint, quae Ritschelius sic supplenda conjecit:

. . . . TH. *Ne nega*

Etsi tibi aegre nunc est . . . . .

Eadem ratione post vs. 1019 lacuna statui debet. Si enim ad quaestionem Simonis: „*Quidnam? ant quo die?*" statim Theuropides responderet: „*Minas octoginta*" cet., nemo non fatebitur ea non bene cohaerere, quare facio cum Ritschelio supplente hunc versiculum:

TH. *Molestus ne sis: rem omnem in pauca conferam.*

Vs. 1026.

SI. *Quaeso edepol, ad me huc specta et responde mihi.*

Post hunc versum magnam esse lacunam Ritschelius demonstravit in Parerg. I pag. 466—472, e cujus argumentatione haecce afferam, quibus plane assentior: Non intelligi potest, quorsum vs. 1027 verba *hoc* et *tuis* spectent; quid ajebat Theuropidem velle aedificare? tum istud *in tuis* nihil esse potest nisi *in tuis aedibus.* At de aedibus nulla mentio facta est in verbis Simonis vs. 1026; porro *quis* erat, qui filio velle uxorem dare Theuropidem ajebat? nemo nisi Tranio: cujus tamen rei in versibus superioribus nulla mentio fit. Denique *quid* est, quod *respondere* Simo Theuropidem jubet vs. 1026, quum tamen nihil ex eo quaerat? Ob has rationes lacunam esse manifestum est, quam acute explere tentavit Ritschelius in editione pag 151 sq.

Vs. 1035.

[*Disperdidit me ille*] *hodie in perpetuom modum.*

Plane facio cum Ritschelio, qui verba *Disperdidit me ille*, reposuit pro: „*deludificatust me hodie*," melius enim dicitur „*perire* et *perdere in perpetuum modum* quam *ludificari in perpetuum.* Fortasse lacuna aderat hoc versu, quam librarii suppleverunt e verbis vs. 1033.

Vs. 1039.

SI. *Sume.* TH. *Ĕadem ego opera haec intus tibi narravero,*
Vulgo versus sic legitur:

SI. *Sume.* TH. *Eademque opera haec tibi narravero,*
vel ita:

SI. *Sume.* TH. *Eadem ego opera haec tibi narravero,*
In utravis harum lectionum est hiatus, qui evitatur, si Ritschelii lectionem accipimus, omisso tamen verbo *ego* et transpositis verbis *eadem* et *opera.* *Eadem* tum non opus est legere per synizesin.

Vs. 1040.

Quîs me hodie exemplis ille ludificatus est.

Quîs (*quibus*) . . . *exemplis*, ut Capt. III: 5: 33:

Quando ego te exemplis excruciaro pessumis.

Terent. Phorm. IV: 4: 6 sq.

Ut te quidem omnes, di, deae, superi, inferi,
Malis exemplis perdant! cet.

h. e. edendo in te exempla, quac omnibus terrori sint.

ACTUS V.

SCENA 1.

Vs. 1042.

Atque equidem, quid id esse dicam verbum nauci, nescio: Post hunc versum aliquid excidisse patet e verborum nexu. Quid enim est, quo referatur illud *nam* vs. 1044? Ceterum vs. 1044 spectat ad id, quod dictum est vs. 929 sq.

Vs. 1048.

Postquam ex opsidione in tutum eduxi manuplaris meos. I. e. postquam Callidamatem, Philolachem eorumque amatas periculo liberavi.

Vs. 1050.

Quom eum convocavi, atque illi me ex senatu segregant. *Atque* h. l. pro *statim*, cujus significationis videas exempla Bacch. II: 3: 45, Merc. II: 1: 32, Epid. II: 2: 35. Liv XXVI cap. 39 med. Virg. Georg. I: 201 sqq.

Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Stat. Theb. II: 26 sq.

Illos ut caeco recubans sublimia sensit
Cerberus, atque omnes capitum surrexit hiatus.

Legg. XII Tabb. apud Cic. de Legg. II cap. 4: *si in jus vocat, atque eat.*

Vs. 1051.

Ubi egomet vidi rem vorti in meo foro, cet.

E proverbio dictum, quod alibi memoratum non reperi. Sensus est: „ubi video me judicium, i. e. periculum evitare non posse." Locutio inde ducta quod, ut ait Lambinus, „jure civili extra suum forum nemo judicium accipere cogebatur, in suo autem debet. Et actor rei, non reus actoris forum sequitur." Erant enim in Italia et in provinciis passim *fora*, i. e. oppida, vici, in quibus certis diebus jus dicebatur. Itaque *forum* est locus et dies liti agendae constitutus. Cf. Cic. Verr. III cap. 15: „*extra suum forum vadimonium promittere.*"

Vs. 1054.

Nam scio equidem nullo pacto iam esse posse clam senem. Post hunc versum lacunam esse, efficias inde, quod Tranio non dixit, quae res clam senem esse nequiret, neque id narrat vs. 1062. Ostendit praeterea codex A, in quo spatium septem versuum inter vs. 1054 et vs. 1062 vacuum relictum est, quorum versuum plane evanidorum nihil legi potest nisi initium tertii, quarti et quinti. Quomodo Ritschelius locum vacuum expleverit videas in editione, pag. 156 sq.

Vs. 1062.

Set quid hoc est, quod foris concrepuit proxume viciniae? *Proxume viciniae* Ritschelius scripsit pro vulgato *proxuma vicinia*, collatis locis Bacch. II: 2: 27, Mil. II: 2: 2, ubi tamen legitur *proxumae viciniae*, idque probandum videtur. Est enim genitivus, vel, ut rectius putatur, dativus locum significans, ut *domi* sive *domui*, *militiae*, *ruri*, *Romae*, *Corinthi* (ex *Corinthoi*), *Carthagini*, pro *in domo* cett. De quo docte disputavit Klotzius, Zeitschr. f. Altherthum 1835. n° 92.

SCENA 2.

Vs. 1064.

Ilico intra limen ista state, ut quom extemplo vocem.

Vulgo editur:

Ilico intra limen astate illic, cet.

quod metro quidem aptum, sensui tamen repugnat. Iteratio enim verbi *illic*, h. l. idem quod *ilico*, perlanguida est, quo vocabulo ejecto metrum claudicat; igitur cum Ritschelio e codice A, qui habet:

LIMENIS. AST . . . . UM

refinximus verba ut ille fecit. Ceterum *ista* idem est quod *ista parte, isto loco* et dicitur eodem modo quo *hac, qua, illa* cet.

Vs. 1069.

TH. *Docte atque astu mihi captandum est cum illo, ubi huc advenerit.*

Astu et *illo* recte Ritschelius reposuit pro *astute* et *illac*, quae metro repugnant. *Astu* est ablativus vocabuli *astus*, quod idem est atque *astutia, dolus.* Nominativus raro occurrit. Habet tamen Sil. Ital. XVI: 32.

Non ars aut astus belli, vel dextera deerat.

Tacit. Ann. II: 20, XII: 45. Hinc *astu* pro *astute* Capt. II: 1: 30, Poen. Prol. 111, Pers. I: 3: 68, Trin. IV: 2: 121. Cf. Terent. Andr. I: 3: 3, Phorm. I: 4: 5, Eun. V: 4: 2, Virg. Aen. XI: 704.

Captandumst cum illo, i. e. cum Tranione. *Captare* est

captiosis verbis insectari, illaqueare. Cf. Plaut. Amph. I: 1: 269: *quid me captas carnufex*, Men. IV: 2: 88: *viden ut scelestus captat, huic surreptast, non tibi.* Cic. Acad. IV cap. 29. *Captare cum aliquo* est captiosis verbis cum aliquo contendere, captiose uti ut decipiatur. Eodem modo dicitur ut *expostulare cum aliquo, cavere cum aliquo*, vs. 1142. *Orare cum aliquo* Cas. II: 5: 16. *queri cum aliquo* Cic. ad Fam. III epist 10, Liv. XXXV cap. 8. *Osculari cum aliquo* Plaut. Mil. II: 2: 90.

Vs. 1073.

Verba illi non magis dare hodie quisquam quam lapidi potest.
Lapis, saxum figurate dicuntur de eo, qui quasi omni sensu caret, sive de stupido sive de homine qui flecti nescit. Cf. Mil. IV: 2: 34, *Nullum est hoc stolidius saxum.* Similiter Graecis usurpatur πέτρα. Soph. Oed. R. 335.

καὶ γὰρ ἂν πέτρου φύσιν (h. e. πέτρον) σύγ᾽ ὀργάνειας.

Vs. 1081.

Th. *Quid iam?* Tr. *Scio, iocaris nunc tu: nam ille quidem haut edepol negat.*

Hunc versum vulgo expungunt editores, male: revera enim non abundat, sed mirifice pingit animum meticulosum Tranionis, conscii sibi malefactorum, et timentis ne poenas gravissimas daturus sit. Tuetur eum codex vetus; sed abest a codice verbum *edepol*, quo tamen omisso metrum claudicat; praeterea inservit id majori affirmationi. Cf. vs. 1088, 1092 cet.

Vs. 1085.

Neque se hasce aedis vendidisse neque sibi argentum datum.
Hunc versum necessario sequi debet responsum Tranionis, quo omisso, verba Theuropidis vs. 1087, „*Dixi ego istuc*

idem illi," nullo modo cum vs. 1085 cohaerere, nemini non in oculos incurrat. Quid enim est istud *idem?* non potest hoc referri ad verba Theuropidis vs. 1084 sq. Valde enim languidum foret v. c. dicere: „*Tu fac hoc, idem tibi dixi,"* si sermo habetur ad unam eandemque personam, ut hoc loco. Quibus ex rebus efficitur lacunam hic statuendam esse.

Vs. 1089—1093.

TH. *Dat profecto.* TR. *Quin cita illum in ius. ibo, inveniam.* TH. *Mane:*
Experiar, ut opinor. certumst. TR. *Immo mihi hominem cedo.*
Vel hominem iube mancupio aedis poscere. TH. *Hoc primum volo,*
Quaestioni accipere servos. TR. *Faciundum edepol censeo.*
TH. *Quid igitur, si ego accersam homines?* TR. *Factum iam esse oportuit.*

Hos versus paullo aliter legunt Weisius et Le Maire; nempe vs. 1089 sic:

Quin et illum in ius iube ire. TH. *Iam mane.*

Quorsum autem referendum verbum *mane,* si non est sermo de abitu? de quo tamen in verbis Tranionis nihil. Mutemus igitur cum Ritschelio:

Quin cita illum in ius. ibo, inveniam cet.

Ita sensus valde concinnus est: quippe Tranio, metuens poenam, in animum inducit abire, quod tamen ne subito faciat, neve videatur in metu versari, praetextum quaerit abeundi, dicens: „*ibo, inveniam"* scil. Simonem; quibus verbis nunc apte respondet Theuropides: „*mane"*, nolebat enim servum abire, quia sic illum punire non posset. Vs. 1090 *Immo* recte insertum propter metrum. Vs. 1091 melius hoc loco legitur quam post vs. 1092,

quoniam vs. 1089 Tranio sententiam suam dicit de in jus vocando Simone; vs. 1090 dicit: „*mihi hominem cedo,*" quibus significat se optime scire quid facturus sit, si sibi Simo tradatur; vs. 1091 aliud remedium proponit litis componendae, quem idcirco statim vs. 1090 excipere debere patet. Praeterea si collocetur post vs. 1092, non aptum praebere sensum nemo non videat. Vs. 1093 *homines* pro vulgari *hominem*, loquitur enim de *servis*, plurali numero. Quod attinet ad dictum *mancupio poscere aedis, mancipio dare, accipere aliquid* est *tradere aliquid alicui* vel *accipere ab aliquo in possessionem*. Cf. Plaut. Curc. IV: 2: 8 sq. Trin. II: 4: 19. Cic. ad Brut. epist 16. Ovid. ex Pont. IV: 5: 39 sq.

. . . . *Jurat*
Se fore mancipii tempus in omne tui.

unde sequitur *poscere aedes mancipio*, nihil aliud significare nisi postulare ut aedes in possessionem tradantur. Tranio igitur, ut se tueatur, suadet ut Philolaches Simonem in jus vocet et cogat aedes, utpote bona fide emtas, sibi tradat.

Vs. 1094.

Ego interim aram hanc occupabo. TH. *Quid ita?* TR. *Nullam rem sapis.*

Aram hanc occupabo: nam in jus duci aut plecti non poterant qui ad aras fanaque deorum confugissent. Exempla Plaut. Rud III: 2: 8. Terent. Heaut. V: 2: 22. Cf. Scaliger apud Gronovium ad. h. l.

Vs. 1096.

Hic ergo tibi praesidebo, ne interbitat quaestio.

Praesidere significat *in praesidio* sive *in custodia esse;* verbum igitur hoc significat: „*curabo tibi ne quaestio in-*

terbitat, i. e. *intereat*. *Bitere* pro *ire* invenitur Curc. I: 2: 54, Merc. II: 3: 127, Pseud. I: 3: 31.

Vs. 1098.

Quia enim id maxume volo, ut illic istoc confugiant. sine.
Illic, i. e. *illice*, melius quam *illi*, metri causa.

Vs. 1099.

Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.
Argenti condemnabo, i. e. „efficiam ut condemnetur ad restituendum argentum" — Similis constructio est in formula *damnare voti*, i. e. „obnoxium reddere ad votum solvendum."

Vs. 1100.

Tr. *Quod agis, id agas. quid tu porro serere vis negotium?*
Quod agis, id agas, i. e. intendas animum in id quod moliris. Nota est formula in sacris: *hoc age*, i. e. *attentus esto*. De quo hujus verbi usu vid. Ruhnken. ad Terent. Andr. I: 2: 15.

Si. *Hoccine agis an non?* Da. *Ego vero istuc*, cet.

Vs. 1101.

Nescis quam meticulosa res sit ire ad iudicem.
Vocabulum *meticulosa* hoc loco passive sumendum est, ut *metuenda*. Sunt adjectiva, quae duplicem *agendi* et *patiendi* notionem recipiunt, v. c. *gnarus* et *ignarus*, quae interdum valent idem quod *notus* et *ignotus*. Ovid. Metam. VII: 404.

Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti.

Sall. Jug. Cap. 56: *plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt*, Tacit. Ann. I cap 63: *Tendebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis*. Contra *notus* pro *gnarus*. Pseud. IV: 2: 39.
Ita herus meus est imperiosus. Ba. *Novi, notis praedicas.*

Vs. 1103.

Sic tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens. Subest jocus in ambiguo, ut scite animadvertit Polletus: „Nam qui aram occuparant, quique ad aram deos venerabantur et precabantur, *sedebant*; *sedebant* etiam qui de re aliqua consultabant." De posteriore verbi *sedere* significatione Cf. Varro R. R. I. cap. 2: *Vetus proverbium, Romanus sedendo vincit.*

Vs. 1107.

Th. *Quidum?* Tr. *Quia nil quaesti sit ei: ita mali hercle ambo sumus.*

Quia nil quaesti sit ei cet., i. e., ut animadvertit Lambinus apud Gronovium ad h. l., „Nos duo adeo probi sumus fallaciarum artifices, ut, si quis tertius ex fallaciis lucrum facere et nobiscum eundem quaestum factitantibus certare velit, procul dubio fame periturus sit."

Vs. 1109.

Med emunxti. Tr. *Vide sis, satine recte: num mucci fluont?*

Aliter Theuropides, aliter Tranio verbum hoc accipit; *emungere* enim proprie significat *nares purgare muccis*, translate *fraudare, spoliare, fraude extorquere.* Est igitur jocus in ambiguo.

Vs. 1113 sq.

Numquam edepol [*tu haec facinora*] *hodie inultus designaveris:*
Iam ignem et sarmen tibi iubebo, carnufex, circumdari.

Quare Ritschelius hos versus mutaverit, mihi quidem non liquet, quoniam, ut in editione Weisii leguntur, auctoritate codicis B, aptissimum sensum praebent. Leguntur ibi sic:

Numquam edepol hoc hodie inultus destinaveris. Tibi
Iam iubebo ignem et sarmenta, carnufex, circumdari.

mallem tamen mutar, *hoc* in *haec* (coll. vs. 1111). Significat autem vs. 1113 haecce: „numquam edepol hodie haec inultus in me *molitus eris, paraveris,*" quam significationem verbum *destinare* habere posse, patet e Suet. Caes. cap. 44: „*De ampliando imperio plena in dies destinabat.*" Quod ad vs. 1114, etiam hic melius legitur apud Weisium propter metrum. Si legimus ut Ritschelius facit, monosyllabon *iam* ecthlipsi plane obscuratur; quod etsi licitum est, melius tamen evitatur. Postremo monendum, supplementum Ritschelii nihil fere continere nisi iterationem verbi *malefacta* vs. 1111, ideoque instar interpretamenti esse.

Vs. 1115.

Tr. *Ne faxis: nam elixus esse quam assus soleo suavior.*

Elixus est aqua coctus, *assus* contra est igne tostus; deinde *elixus* significat etiam *madidus, assus* autem *siccus.* Quare propriae significationi subest etiam haec figurata: „madidus sive ebrius sum suavior quam siccus sive sobrius."

Vs. 1116.

Th. *Exempla edepol faciam ego in te.* Tr. *Placeo: eo exemplum expetis.*

Pro *placeo: eo* cet. vulgo legitur *quia placeo, exemplum expetis*, repugnante metro; si enim ita legimus, duae posteriores vocales verbi *placeo* per synizesin in unam coalescant necesse est et simul jungenda cum sequente *exemplum.* Verbum *eo* facile absorberi potuit terminatione praecedentis *placeo.* Ceterum jocatur in ambiguo: senex dicit, se velle in servum exemplum fieri, quod alios de-

terreat ne peccare audeant, cavillator autem bono sensu accipit, quasi senex dicat, se velle servum aliis proponere exemplum ad imitandum.

SCENA 3.

Vs. 1126.

Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus.

Gloriose loquitur servus, tamquam si esset liber: nam ingenui *oratorem* dabant, servi *deprecatorem.*

Vs. 1134.

CALL. *Age mitte istaec: te ad me ad cenam dic venturum.*
TR. *Quid taces?*

Haec verba vulgo omnia tribuuntur Tranioni. Melius tamen videtur verba „*Age . . . . venturum*" tribuere Callidamati, qui nimirum vs. 1129 dixerat: „*hic aput nos hodie cenes: sic face.*" Verba: „*te ad me ad cenam*" vulgo leguntur: „*et me ad coenam,*" repugnante sensu: Callidamates enim vocat Theuropidem ad coenam, quo negante magis magisque instat, ideoque dicere non potuit illi: „*me ad coenam dic venturum.*" Quibus nunc optime Tranio dicit: „*Quid taces*"? Cupiebat enim senem abire, quo melius poena liberaretur.

Vs. 1136.

Adveniens perterruit me. loquere nunc, quid fecerim.

Verba: „*Adveniens perterruit me* dicit ad Callidamatem, reliqua ad Theuropidem.

Vs. 1137.

Nunc utrisque disceptator eccum adest: age disputa. *Disceptator* est judex, qui de re, de qua inter disceptantes controversia est, sententiam fert. Cf. Cic. Part. Or. cap. 3, ad Fam. XIII epist. 26, Liv. I cap. 50, XXXV cap. 45. Val. Max. II: 10: 4, Quintil. XI cap. 1.

Vs. 1143.

CALL. *Sine me dum istuc iudicare. surge: ego isti adsedero.* *Surgit* orator, qui ad dicendum aggreditur, *sedet* judex.

Vs. 1149.

TH. *Quid ego nunc faciam, si amicus Demipho aut Philonides.* Post hunc versum aliquid intercidisse, mihi quidem non tam certum videtur quam Ritschelio. Potest enim facillime aposiopesis admitti. Atqui, dicat quis, Tranio ad verba, quae hoc loco leguntur, non respondere potest quae statim dicit vs. 1151. Monendum tamen, licet Theuropides sententiam non absolvat, Tranionem tamen optime intelligere potuisse, quid senex in animo haberet dicere.

Vs. 1162.

TH. *Non potuit venire orator magis ad me inpetrabilis.* Adjectiva verbalia in *bilis* exeuntia vulgo habent significationem passivam et denotant id, quod actione verbi, unde derivantur, acquiri vel effici potest. Sic v. c. *utibilis* (*utilis*), quo quis facile *uti* potest, *habilis*, quod facile *haberi* potest, cet. Saepe tamen hujusmodi adjectiva active sumuntur; sic hoc loco *impetrabilis* est is qui facile quid *impetrat*. Cf. Merc. III: 4: 20, Epid. III: 2: 6: *diem impetrabilem*, h. e. dies, quo quis facile impetrat quod optat. Terent. Phorm. I: 4: 48: *causam vincibilem* dicit, causam, quae facile vincit. Sic *placabilis*,

ad placandum aptus, Terent. Adelp. IV: 3: 17, Virg. Aen. X: 481: *penetrabile telum.*

Vs. 1166.

CALL. *Dispudet.* TR. *Si istam das veniam, quid me fiet nunc ïam?*

Hic versus in aliis codicibus aliter legitur; in B sic:

TR. *Dispudetis tam veniam quid me fiet.* TH. *Nuntiam.*

Bb habet *nun*^{c}*tiam;* in F. Z. legitur:

TR. *Dispudet istam veniam quid me fiet nunc iam*

e quibus lectio Ritschelii facillime elici potest. Conjunctio *si* in F, Z, facile absorberi potuit prima syllaba vocis *istam.* Quae si inseratur, necesse est etiam inseratur verbum *das*, quo sententia suppleatur. Denique verbum *dispudet* tribui non posse Tranioni, nemo attentius legens negaverit.

Vs. 1169.

Tranioni iam remitte hanc noxiam causa mea.

Pro *iam remitte* vulgo legitur „*remitte, quaeso,*" quod vereor ut Ritschelius recte mutaverit contra fidem plurimorum codicum. Mihi quidem illud *quaeso* satis aptum videtur supplicanti, quare retinendum censeo.

Vs. 1172.

CALL. *Mitte, quaeso, istum.* TH. [*Illum ut mittam?*] *viden ut astat furcifer?*

Verba: „*mitte, quaeso, istum*" in editione Weisii perperam Tranioni tribuuntur; pro verbis Theuropidis vulgo leguntur haec:

. . . . TR. *Mitte tu me.* TH. *Hem, viden, ut restat furcifer?*

adversante metro; quare Ritschelius recte inseruit verba: *illum ut mittam*", quae etiam sensui aptissima sunt, quippe

mirantis senis, qui fieri posset ut Tranioni veniam dari precaretur Callidamates; quod quo acrius negaret, digito monstrat servum, qui fortasse insolenti modo, fretus sanctitate arae, adstabat. Ceterum *astat* melius quam *restat.*

Vs. 1177.

Hanc modo noxiam unam, quaeso, missam fac causa mea. In hoc versu bifariam legitur: vel *unam noxae veniam*, vel *unam noxiam, unam;* illa lectio nihili est, quoniam, quid sit *unam veniam*, intelligi nequit, quia de aliis veniis nullibi sermo est; hanc retinere non possumus utpote imperfectam neque absolutam sententiam praebentem: quare aut cum Lomanno (Spec. crit. in Plaut. et Terent. pag. 49) versus mutetur sic:

missam noxiam unam quaeso

aut legatur quod proposuit Ritschelius.

THESES.

I.

Justo fastidiosius est Horatii de Plauto judicium, *de Art. Poët.* vs. 270 sqq.

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte mirati.

II.

Ad Romanorum mores et instituta cognoscenda Plautinae Comoediae plus quam Terentianae conferunt.

III.

Synizesis in versibus Latinis ubique statuenda est, ubi, ea admissa, versus constabit.

IV.

Creticos, quos clarissimus Geppert (in praefatione Editionis *Trinummi*) versibus jambicis et trochaicis intermixtos putat, maximam partem per synizesin tolli posse credo.

V.

In Plaut. *Mil.* IV: 8: 23 sq.

Nihil aquam moror. Py. *Cur?* Pal. *Malo merum ne interveneris,*

Quaeso, dum resipiscit, cet.

sic legendum:

Nihil aquam moror. Py. *Quid?* Pal. *Malo—ne interveneris,*
Quaeso, dum resipiscit, cet.

VI.

Trin. II: 4: 182 pro Ritschelii lectione:

Le. *De dote ut videat, quid facto opus sit.* St. *I modo.*

melius est retinere lectionem Gronovii et Bothii:

Le. *De dote ut videat, quid opus sit facto* St. *I modo.*

VII.

Ibid. IV: 2: 30 (38), vs. 579 Edit. Ritsch.

Census quom sum, iuratori recte rationem dedi.

expungendus videtur.

VIII.

Rud. III: 3: 5 pro.

Maximo miserae in metu nunc sumus ambae,

transpositis verbis legatur:

Maximo nunc sumus ambae miserae in metu.

IX.

Quam Homerus depingit heroicae aetatis imaginem, ea poëticam quidem, at veram tamen illius aevi vitae morumque effigiem refert.

X.

Tragici contra multa in heroës transtulerunt e recentiorum temporum indole et cultu deprompta.

XI.

In Aristotelica tragoediae definitione (*de Art. Poët.* cap. 6): „Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως..... δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν," vocabulo κάθαρσις non moralis animi *emendatio,* sed *levatio* affectuum significatur.

XII.

Vere Göthe: „keine Kunst vermag auf Moralität zu wirken; Philosophie und Religion vermögen dies allein." *Göthe-Zellersche Briefwechsel*, IV: 288.

XIII.

Recte Ulrici (*Charact. d. antik. Hist.*): „die Alten hatten keinen Sinn für die Auffassung von Verhältnissen, die jenseits des praktischen Empfindungskreises ihres eigenen Volkes lagen. Der Drang nach Universalität der historischen Erkenntniss is erst in der neueren Wissenschaft erwacht."

XIV.

Xenophon nimis favit Spartanorum rebus, quam cum civis Atheniensis officiis conveniebat.

XV.

Idem, propter Spartanorum studium, interdum iniquum se praestitit erga nonnullos viros praestantes, v. c. Epaminondam et Pelopidam.

XVI.

Antiquarum litterarum cultus hodieque omnis liberalis institutionis fundamentum est habendus.

XVII.

Loco I Sam. vs. 6 pro וְכִעֲסַתָּה legendum וְכִעֲסַתָּהּ et expungenda verba: גַּם־כַּעַס בַּעֲבוּר הַרְּעִמָהּ, quae nullius sunt.